








ŒUVRES DE ROBERT BLONDEL

ŒUVRES DE ROBERT BLONDEL

ŒUVRES

DE

ROBERT BLONDEL

HISTORIEN NORMAND DU XV[e] SIÈCLE

Publiées d'après les manuscrits originaux

AVEC INTRODUCTION, NOTES, VARIANTES ET GLOSSAIRE

Par A. HÉRON

TOME SECOND




ROUEN

A. LESTRINGANT, SUCCESSEUR DE MÉTÉRIE

LIBRAIRE DE LA SOCIÉTÉ DE L'HISTOIRE DE NORMANDIE

11, rue Jeanne-Darc, 11

1893



REDUCTIO NORMANIE

Reductio Normanie [1]

EXORDIUM IN NORMANIE (A) REDUCTIONE PER REGEM KAROLUM SEPTIMUM FERE UNIUS ANNI DECURSU PROSPERE CONSUMMATA, ET A ROBERTO BLONDELLI EDITA, FELICITER INCIPIT.

1. Quamquam illustrium virorum provide, sedulo ac strenue gesta non parum generosos oblectant animos, et ad ornate instituendum (B) *vite humane cursum, quid honestum, quid utile imitari, quid turpe, quid offuturum vitare mortales deceat, salutari doctrina instruunt; attamen domestica jocundiorem* (C) *voluptatem et ampliorem fructum indigenis afferre et ferventioris virtutis ardore ad preclaros avorum mores imitandos nepotum affectus, quam externa, inflammare solent. Profecto, si quid generositatis juvenum animis insit, nedum splendido parentum exemplo accensi, eximiis actibus pares, verum alacriores egregia virtute suorum majorum probitatem superare, summa ope* (D) *nitentur. Queque enim viro forti indigna, paterne virtutis, sapiencie et glorie emulus contempnet infima, ardua*

Variantes : (A) *B* Northmanie, *presque partout de même;* (B) *C* instituendæ; (C) *C* locupletiorem; (D) *B* summopere.

(1) *Le ms. 6198 porte le titre* Assertio Northmanie *et au-dessous la date* CIOIOCLXIIII. *Ce titre a été mis postérieurement et la forme de l'écriture le prouve bien. Il est à remarquer que Blondel n'a pas employé dans son récit le mot* Assertio. *Le titre* Reductio Normanie *est tout indiqué dans la ligne qui suit.*

laude perenni celebranda, ni degener sit, amplexurus; nec vitam, que fato debetur, pro salute omnium mortis discrimini objectare recusabit. Ac etsi publici negocii arduitate occumbat, eterne et gloriose fame celebritas posteris illustrior elucescet, quod summa generosis existit hereditas. Erubescent quidem degeneres inherti ocio marcentes et voluptate potiti, vilissimam (A) *corporis partem, ventrem, colere, veluti pecudes, absque preclari facinoris memoria, dies transigere suos, quorum post humum, si non fama ignavorum decoleretur turpium relatione, memoria cum vita extinguitur* (B)*; quod de utroque silere eligibilius foret, quam ob morum insolenciam feda de se commemorari.*

2. *Igitur ego Robertus ex Normania cretus, si pene divina et incredibilis Normanie reductio, plus quam annis triginta asperrime jugo servitutis oppresse, scriptis consecrata posteritati commendetur, exemplum totius bellice strenuitatis imitatione dignum et belli prospere expediti admiratione plenissimum arbitror, et ingenti cum delectatione memorabile, si varietate stili, ut diversa rei geste materia postulet, decorata apposite contexatur. Si enim immensa rei geste dignitas attendatur, nichil justi belli suscipiendi, nichil providencie incepti cautius ducendi, nichil acris celeritatis fortiter exsequendi, nichil periculi magnitudinem tolerandi, nichil felicitatis consummate belli perpetrati, in magnifico principe triumphanti, fama dignum commendatur, quod non, velut in limpidissimo summe probitatis speculo, perluceat in Karolo rege omnium excellentissimo, atque simul*

Var.: (A) *A* villissimam; (B) *A* extingitur.


militum (A) *ducibus invictissimis. Quid justius hoc belli exordio, quam accuratius hostem treugarum violatorem postulare, queque adversus earum tenorem ab utraque parte sub pacis spe componende in pristinum statum reponi, ut horrenda ferri sevicia citra cruoris effusionem quiescat? Quid scelestius quam juste et sancte oblatis dare repulsam? Nullum cautius, nullum celerius, nullum felicius isto bellum geritur; quo non ferro, sed plenitudine commissorum abolitionis indulta et fortunarum abstinencia, populi reducendi corda sibi adversa sue obedencie reconsiliantur; quo reconsiliati arma sumentes absque strage hostium intrusorum ferocitatem expellunt et sui majestatem supremi domini feliciter introducunt; quo militum alacritate tot ville, tot urbes, arte et loco munitissime, tot castra prevalida feroci barbarorum acerbitate* (B) *defensa, unius anni lapsu expugnantur; quo tria Anglorum robore valentium millia et septingenti* (C) *cum quatuordecim uno conflictu cesa expirarunt, et ex parte Gallorum victrice duntaxat undecim viri, non genere sed virtute clari, ceciderunt; quo mille et quingenti capti carceribus infestissimis detruduntur. Pars enim Gallorum victrix tria pugnatorum non, sed Anglorum victa septem virorum millia, excedebat.*

3. Felicissimus ergo Karolus plus divina quam humana virtute, populo tamen ad nutum sibi favente, absque gravi patrie incommodo, sine suorum cede et cum maxima hostium strage, a torva barbarorum servitute ereptum suum ducatum sibi vendicat, clarissimo tropheo potitus. Normanie enim Reductionem, ad

Var. : (A) *A double presque partout* l *de* miles *et de ses dérivés;* (B) *B* atrocitate; (C) *A B C* septingenta.

laudis … [illegible] … cipem,
nec … [illegible] … tatur,
disc… [illegible] … Fulgeris
ar… [illegible] … exinde
bene… [illegible] … conspicua
ro… [illegible] … absque
… [illegible] … providencia
co… [illegible] … peracti,

[illegible]



INCIPIT LIBER PRIMUS

DE BELLO INSIDIOSO

CAPITULUM PRIMUM.

Qualiter Franciscus de Surienne, Arrago, auctoritate ducis de Sombresset, absconsa et palam falso negata, et magno regis Anglie sigillo munita, et postea ab ipso rata, nocturnis insidiis contra tenorem treugarum scalis castrum subripiens et Fulgeris villam miseranda rapina depredatus est.

4. Cum diurnum pacis ocium immortales Anglorum inimicicie cum Gallis non ferunt, treugas, quas fideliter servare juraverant, per alienigenam sibi federatum rumpunt, ut sub advene exauctorisati nomine belli fraus insidiosi (A) lateret, et quam virtute armis apertis invadere non possunt, villam per nocturnas insidias dolo aggredi moliuntur (B); et ad hoc scelus conspiratum furtim exsequendum, non modicum scalarum apparatum construentes, delectam satellitum multitudinem Vernolii advocant. Hinc Anglicos machinari fortalicium clam

Var. : (A) C *insidiose;* (B) B *molliuntur.*

surripere, sed qua plaga ignotum est, rumor vulgaris decurrit. Erat enim inter Anglicos belligerans Franciscus de Surienne, miles Arrago, vir calidissimus, ex raptu cruentam solitus agere vitam, ac impius regionum direptor, qui ad omne populi exicium (A) preceps, adunatis secentis satellitibus, castrum Fulgeris, aperto insultu inexpugnabile, dum tamen suppetunt alimenta, et dehinc villam in Britania sitam Normanie finibus opulentissimam, sub treugarum protectione, nocte silenti, scalis appensis, usurpat, dum annus millesimus quadringentesimus quadragesimus octavus, in vigilia celeberrime Dominice Annunciationis, sacratissimo Quadragesime tempore, perageretur; quo furor omnis et hostiles insidie a rapina inter Cristianos torpescere, et quilibet purissimo Jhesu sanguine redemptus ab humani cruoris effusione divinis Cristiane religionis institutis cessare jubetur. Sed quanto tam sacratissimi temporis sanctitas inviolabiliorem populis largiebatur securitatem, eo crudior perditissimorum predonum rapacitas sevit; et huc illuc ferro pretenso furens, auro incredibili, argento infinito, multa divite superstitili (B) et mercibus preciosissimis cumulatissimas Fulgeris facultates prorsus exhausit. Fulgerenses enim, inopina clade obruti, sorte non humili et genere potentiores, infesto carcere detruduntur; ceteri vero cunctorum extorres proprios lares fugiunt. Alii quidem infortunatissimi, quibus nichil preter vitam calamitosam barbari relinqunt, in natali origine sevissimis hostibus servire coguntur. Nedum scelerati divinarum humanarumque rerum (C) predones privatas villatensium

Var. : (A) A place presque toujours *c* après *ex* dans *exitium*, *exercitus*, *exercitatio*, etc.; nous l'avons supprimé; (B) C *supellectili*; (C) A *humanarum rerumque*.

gazas sed sacra rapiunt, stuprant virgines, castas violant, agros vastant, colonos vinclis et carcere afficiunt, et si aurum petitum inter pressuras extorti non vomant, inhumane cruciatos perimunt. Hec locupletissima preda inter omnes bellorum duces, etiam absentes, et suos stipendiarios distributa partim citra mare castris reconditur, partim transvehenda in Angliam navigio commendatur; nam nonnulli hanc predam tanti valoris fuisse asserunt, rapta Fulgeris spolia viginti centum millia vera estimatione posse appreciari.

5. Nec funestus iste predo absque jussu suorum majorum hanc perditam (A) rapinam exercuit, quod fraude et dolo absconsum nostros principes latebat. Verum postea hic deditus, objectum prede private crimen diluens, publicis documentis detexit. Ubi enim dux de Sombresset, vi usurpata Normanie gubernacula tenens, per alienigenam consultum clam habuit in Britaniam excitare bellum, ut non principes Anglie treugas infringere putarentur ne Galli militantibus obviam irent, Francisco Arragoni calidissimo istud tam nephandum scelus exsequendi litteras titulo confectas regiique impressione sigilli auctenticas paulo ante fertur dedisse. Quo patrato, idem Arrago, ut in futura pericula providus erat, per Guillermum de Insula, ejus secretarium, Fulgeris captionis modum regi Anglie et patrie principibus annunciat, si casu acri Britonum obsidione coartari hunc contingeret, promptum succursum ab Anglia petiturus. Recepto enim cum ingenti gracia nuncio, velut preclari triumphi auctoris, eximia tanti militis industria, qui nedum aperto verum absconso insultu castra hostium subicere didi(s)cit, ad celum ex-

Var.: (A) C *prædictam*.

tollitur; et barbari principes ac consilium regis Anglie Arragoni, viro sanguinolento, miserrimam (A) Fulgeris subactionem rem immortali laude dignam fecisse ascribunt, censentque tanti sceleris artifici in arcto posito paratissimis armis succurrendum; ac nuncius letus ab insula rediens ad Franciscum Arragonem ratihabitionis et pacti subsidii cyrograffum refert. Gens enim ferox Anglica rapinam affectans, subrepta Fulgeris villa, exultantibus letitat animis; totaque insula, feroci gaudio perfusa, cytharis et choreis non minus ovat, et publicis facibus accensa relucet, quam si strenue pugnando magna clade hostes contrivisset.

6. Tum in Britania nullum isto castrum inexpugnabilius tutissimam eorum rapacitati confert munitionem; tum in Normanie presidiis constructum, ejus resistit invasoribus; tum in superiore ducatus Britanie aditu situm, ad amplissimam predam raptandam (B), quam extorquere conspiraverant, per universam Britaniam facilem prestat ingressum. Rapacitate quidem inaudita villa Fulgeris ad tantam inopiam redacta totam Britaniam stupefactam crudelitate tyrannidis et circumvicinos pavor subitus invasit. Nempe (C) unusquisque in se, in uxores, in liberos, in res familiares, ne eadem ferocia eamdem improvisam rapinam protendat, perterritus dolore anxio summe veretur.

Var.: (A) C omis; (B) C *captandam*; (C) A *nampe* presque partout dans ce ms.

CAPITULUM SECUNDUM

De antiqua fractionis promissorum in Gallos Anglorum infidelitate ; de increpacione negligentis custodie castrorum tempore treugarum.

7. Si priscarum Anglorum cum Gallis conventionum recorderis, Anglorum promissis genus infidum et eorum treugarum exitum novas predas raptum iri compertum habebis. Quid igitur mirum, ubi ignavia ad murorum custodie negligenciam resolveris, et voluptate inherti potiris, aut prava habendi libidine captus pecunie lucro intendis, si hostes insompnes, studio rapiendi excitati, vigilibus vacua in menia repentinum impetum agant, et dormientes unum vinculans, alium jugulans, et omnes fortunas perscrutans, effrenis licencia ferri huc illuc decurrat ? Hujus ignavie opportunitas spe pinguioris prede consequende Anglos ab equo transversos et sacrate fidei temeratores facit ; et quo ampliorem arbitraris securitatem, eo perniciosius incurres discrimen, cui improviso minus obviabis. Igitur hostes urbium spoliorum captatores in caput habere, et infidelium treugarum securitati custodiam corporum et fortunarum committere, nec latentes insidias previdere, resupina vecordia est. Hoc nisi precaveris, ne irruptio hostium abconsa te torpentem obruat, ubi prosilierit frustra valvas claudes, incassum amicorum presidium implorabis. Nempe (A) cunctis fortunis exhausta Fulgeris villa in exemplo est, quod (B) insaciata hostium libido

Var.: (A) C *Namque ;* (B) C interprète souvent par *quia* l'abréviation ordinaire de *quod*.

tali infortunio victis omniumque bonorum nichil residui facit.

8. Expergiscere ergo et ad murorum custodiam attentius invigila, ne idem infortunium, ut pluries Gallos victores, cibum aut sompnum capientes incauta securitate (A), te remissum opprimat. Si enim casus adversus tibi ignavo contingat, non fortunam, sed tuam inherciam accusa. Verum si impensiorem custodie curam addas, per vigiles excubias, quas crebro circuibis, nocturnos hostium aggressus cognosces; perque fidos exploratores conflatas insidias, antequam irrumpant, previdebis, et previsas, si sollers es, effugies.

CAPITULUM TERTIUM

Qualiter rex Karolus eques, relata Fulgeris capcione, Bicturis profecturus iter Caenonem deflectit ut casui adverso provideat; et deliberacione consilii habita, ambaciatores Rothomagum propere transmittit, qui cum omni instancia ipsum ducem summant ut Franciscum Arragonem duci Britanie Fulgeris villam et castrum ac dampna burgensibus illata restituere compellat; quibus sinistre respondet quod Franciscum exauctorisat, nullam operam ad villam restituendam daturus.

9. Profecto miseranda Fulgeris calamitate comperta, Karolum regem clementissimum sub publica treugarum securitate tantam proditionem conflatam (B) fuisse in-

Var. : (A) A B *securitas*; (B) A B *conflatum*.

credibilis cepit admiratio. Nec minor super casu ruine tam potentis ville adverso pietas valde et misericordia adegit condolere*. Propterea ut celerem conferret opem rex Karolus, ad suam urbem Bituris profecturus, Caenonem impigros flectit gressus, atque citato itinere ex matura consilii deliberatione heroem de Culento, tunc magnum regie domus magistrum, atque Guillermum Cosineti, in legibus licenciatum, suum consiliarium, ad ducem de Sombresset, vice regis Anglie Normaniam gubernantem, transmisit, quem super fractarum treugarum reparatione summando alloquntur.

10. « ** Noster supremus dominus, rex piissimus, ne« phande Fulgeris depopulationis injuriam, quam mi« nime ignoratis, in divine et sue majestatis contemptum » perpetratam, egerrimo (A) portat animo; cujus opes im« moderata vestrorum avaricia summas in nudos parietes « radicitus exarsit. Nec enim nepotem suum, Anglie « regem, hanc funestam nequiciam molitum fuisse et « proditorie conspiratam placuissē arbitratur; nec im« manissimos tanti sceleris artifices approbare vix credi« tum iret. Duobus vero regnis eorumque federatis (B) « concessas et nominato expresse ducatui Britanie « inducias, sub spe future pacis componende ambo (c) « reges se fideliter servaturos jurarunt, et earum viola« tores severius plecturos insimul pacti sunt. Promissa

Var. : (A) B *egerrime* ; (B) B *confederatis* ; (c) A B C *ambos*.

* A En marge : *Nota in hoc primo libro qualiter rex Karolus justo, legitimo et moderato processu de insidioso in apertum bellum contra hostes treugarum fractores progressus est*.

** A En marge : *Oratio ambaciatorum regis Francie ad ducem de Sombresset*.

« enim regum, ut legem perpetuam, rata et inviolabilia « permanere facit publica regum (A) auctoritas. Noster « dominus rex, veluti legem sempiternam, pacta treugis « inserta servare statuit, quod in fidei promissis a nepote « suo reposcit, ut princeps justus sibi mutuum gerat « morem. Regiam enim majestatem raro jurare decet, « nisi salus universi urgeat ; sed nunquam federa « infringere, nunquam fidem mentiri, fas est. Et « quamquam treugarum infractio exnunc violatoribus « aliquid lucri afferat, tamen exicialis finis infidelitatis « artificem impunitum non relinquit. Quid igitur per-« niciosius si infidas et rei publice nocituras in regum « fide treugas inierunt ? Juxta Ciceronis sentenciam : « Fundamentum est autem justicie fides, id est, « dictorum conventorumque constancia et veritas. « Ergo qui subdolum et treugarum infidele pactum « conflat, omnem legum firmitatem labefactat et stabile « justicie fundamentum subvertit ; quo sublato, prin-« cipis infidi et versuti imperium collabi solet. Ex enim « fidei principum inconstancia fortuna regnorum insta-« bilis efficitur, et casu inopinato in perpetuam ruinam « versatur. Nec ulla calida, nec ulla sinistra interpreta-« tione contra treugarum tenorem per vestros Fulgeris « direptio perpetrata non fuisse denegari posset.

11. « Igitur, ad integram dampnorum restitutionem « Anglie regem publice fidei vinculum constringit. Si « natione Arrago hujus sacrilege depopulationis prin-« ceps exstiterit, est officio publico tamen Anglicus, « bellorum dux, ac militari ordine insignitus, inter « omnes domesticos regis Anglie familiarissimus. Lin-« quitur ergo in ipsum delinquentem vos, ejusdem prin-

Var. : (A) B les mots entre *ut legem* et *regum* omis.

« cipis vicem gerentem, severitatis habere cohercio-« nem. Profecto sub jurata treugarum securitate, fraude « cruenta hanc sceleratissimam istius ville predam « rapuisse, que hostilem non suspicabatur aggressio-« nem, et non aperto indito bello pugnam expetere, « nepharium proditionis exstitit facinus. Profecto (A) ville, « castra et regni urbes, ac Britanie in treugis compre-« hense, publicam earum protectionem rebus et corpo-« ribus firmissimam, popularis securitatis pignus attu-« lisse minus dubitabant. Rem ob hanc nullas sibi « preparari insidias, in quas nullum vigilum armatorum « opus, nullam excubantium solicitudinem diu ac noctu « adhiberi, opinabantur. Igitur treugarum amborum « regum confidencia, si tante iniquitatis conspiratores « supplicio non deputantur acri, sua castra, suas urbes, « suos populos sanguinolente depopulationi tradere « videretur (B).

12. « Ea propter, ne dominus rex noster hujus publice « traditionis (C) particeps labe sceleris inficiatur, vos, vos, « dux de Sombresset, cum omni instancia requirit, « vos summat nomine regis Anglie Normaniam guber-« nantem, ut carissimo nepoti, Britanie duci, suo (D) fideli « et ligio (E) vassallo, castrum per vos surreptum et Ful-« geris villam occupatam reddere, et ab integro singula « dampna burgensibus illata restaurare, invasores vestra « auctoritas compellat. Quid magis rei publice nociturum « si principum federa, que ad humane societatis utilita-« tem ordinantur, si[c] in hominum cladem et civitatum « subversionem reflectantur? Ubi publica regum fides

Var.: (A) B déplace *profecto* et le met une ligne plus haut après *pugnam;* (B) A B C *viderentur;* (C) C *proditionis;* (D) C omis; (E) C *legitimo.*

« non custoditur et violata non reparatur, communis « subditorum salus deperditur, et a ferarum crudelitate » perversorum immanitas non differt; que, assumpta « seviendi audacia, ad vim, ad insidias, ad raptum, « ad civitatum direptionem et ad hominum stragem « excitatur. Nunc unius, nunc alterius partis furtim « castra surripientur, et tandem truculentius primo « bellum orietur; quo excitato, tanta omnium rerum « confusio et tanta mortalium conturbatio exurget, quod « nunquam inter duo regna pax reformari valebit.

13. « Si velitis igitur firma vestri regni ut maneat « incolumitas, firma vestrorum dictorum veritas et sta- « bilis conventorum perseveret constancia, nec ulli pre- « clare dignitatis publice fidei violatori, licet multitu- « dini, parcendum est. Satius enim esset plures egregios « perire, quam exemplo criminis inulti pernicioso rei « publice afferre nocumentum. Quid plura oratione « eloquar? Etiam si Dominus noster, justi amantissi- « mus, debitam istius sceleris reparationem non exigat, « et si vestra auctoritas nephas istud execrabile (A) in rei « publice necem perpetratum ulcisci postponat, opina- « minine quod tanta nequicia Dei ultionem effugere « possit? Minime decet credi. Summa enim Justicia « perjuria, potissime regum, sibi invisa abhorret et « vehementi odio persequitur (B). Et merito. Nam qui in « societatis humane eversionem juramento abuti non « formidat, se rei publice ferocem constituit hostem, cui « protectio deputatur, et summam sacramenti religionem, « quam in veritatis assumit testem, ausu contempnit « sacrilego. Quid inde? Nonne celestis ira contemptu « lacessita gravem penam inferre quiescit? Demum,

Var.: (A) C *ineffabile*; (B) C *prosequitur*.

« quamquam pigre, vindicta supremi Judicis acerrima, « dum placata creditur eo quod supplicium dejeranti « non intulit, juramenti temeratorem severissime ulcis« citur; et principis mendacis imperium, quod perfidis « armis in sublime evexit, ob infidelitatis sacrilegium « inopina clade subvertit infelici. »

14. * Ad quam summationem instantissimam cum insidioso bello dux de Sombresset, cujus auctor subdolus erat, — jam animo cupido totam Britaniam invaserat, — ab incepto divertere mentem non haberet, idcirco calida ejus simultas sinistre fertur respondisse sua auctoritate Fulgeris villam captam non fuisse, et quod exauctorisat viros arma sequentes qui ipsam surreptam occupabant; nec exinde ut hanc faceret restitui ullam daret operam. O scelus virtuoso principe indignissimum ! publica fides, ut in scelesta regni libidine solet, nove captate prede gracia, falaci mendacio temeratur ; et imperii cupido ab equo et honesto in pravum et turpe principem adducit et sempiterna infamie labe dejerantis coinquinat (A) honorem.

CAPITULUM QUARTUM

Qualiter dux de Sombresset idem sinistrum responsum nuncio ducis Britanie ipsum summanti dat; quo accepto, idem dux ad regem Karolum ambaxiatores pro sua villa recuperanda armorum subsidium petituros mature delegat, et quod accuracius postulant ab ipso rege facile obtinent.

15. Et idem palliatum responsum publico ducis Bri-

Var. : (A) A *conquinat.*

* A En marge : *Responsio ducis de Sombresset ad ambaciatores regis Francie.*

tanie nuncio ipsum summanti eructare contigit. Quo accepto, Franciscus, sancta et voluntate egregia Francus, Britonum dux, indignam sue ville calamitatem prospectans, cujus iniqua perditio nullo tempore reparanda suo ducatui dampna et forsan universam (A) cladem esset allatura, ni sceleris exordio sollerti cura provideretur, paucis diebus interjectis, magistrum Robertum de Riparia (B), virum optimum, episcopum Redonensem, et baronem de Gaimine, suum cancellarium, erga regem Francie, suum supremum dominum, transmittit, in subitam hostium aggressionem salubre armorum subsidium petituros. Ac unde oratores, ut favore benigno recepti fuerint, gravi et tristi vultu regiam majestatem reverenter alloquntur :

16. « * A vestra non excidit memoria, princeps illustris« sime, ut ducem Britanie, vestrum nepotem et fide« lissimum vassalum, ac villarum, urbium, castrorum, « totiusque ducatus hominum universitatem, expressus « treugarum tenor declarat comprehendi ; nec earum « protectio, nec fides publica, nec verenda (C) nominis « vestri celsitudo, perditissimorum predonum libidinem « cohibere potuit quin eorum insaciata vorago, latebris « inopinatis prorumpens, locupletissimas Fulgeris copias « absorbuerit, et ni (D) lapides miseris incolis nichil resi« dui fecerit. Nephando in hoc sacrilegio divina et ves« tra majestas subdola conspiratione offensa contempni« tur; circumventum publice fidei sacramentum fraude « violatur ; sacratissimas armorum leges infidelium « calumpnia confundi et insontes nocentium rapacitate

Var. : (A) B *universalem;* (B) B *Ripparia;* (C) B *veneranda;* (D) A B C *in.*

* A En marge : *Oratio ambaciatorum ducis Britanie ad regem Francie.*

« excruciari, certum est. Senciant igitur inhumani tantorum scelerum auctores justissimam vestre severitatis ultionem. Ideo quod Britanie dux regie majestatis fidissimus existit vassalus, in eum perfidissimi hostes dolo conflatum ferrum mortiferum vibrant. Vibratum igitur odio vestre severitatis invicta (A) dextera retundat. Inviolabile fidelitatis juramentum precipit ut ligii adversus perfidos hominis aggressores dominus superior succurrentia portet arma, supremus princeps invaso vassalo debitum gerat auxilium. Proth dolor! Nuper jocundissima Fulgeris civilitatis hominum habitatio et tutissimum mercatorum profugium cuilibet patebat; et nunc teterrima ferocium predonum spelunca et perniciosum latronum receptaculum, nedum Britanie, sed toti regno, latam direptionem minatur; quo ferocissimi latrunculi in bonorum predam, in edifficiorum flammam, in hominum stragem ruent; qui omnium agrorum spolia raptabunt (B), vinculis, carceribus, cede, colonos afficient, domos, grangias, maneria exurent, publica itinera tenebunt obsessa; nec huc, nec illuc, absque rerum depredationis et stragis periculis, cuilibet mortalium ab urbibus exire fas erit.

17. « Vestrum armorum ergo presidium humiliter exploramus, princeps clementissime, ut vestra strenuitas furibundum, nedum in Britones sed in cunctos, inimicorum impetum propulset. Summe cavendum ne crudelitas barbarorum, in Fulgeris calamitate experta, in Gallos late longe (C) progrediatur. Perfida hostium ferocia transquillam securitatem populo insidiis ademit, quam vestra prestantissima virtus

Var. : (A) C *munita*; (B) B *captabunt*; (C) C *late longeque*.

« apertis armis restauret. Tyrannorum sevicia hominum « communitas obruitur, cui humanitas vestra pietatis « remedio succurrat. Si casus adversos sorte meliori « commutet, regale officium omni laude celeberrimum « exercebit, quo apud homines immortalem honorem et « apud Deum eternam gloriam consequetur. »

18. * At rex benignissimus ambaciatoribus perorantibus ait : « Nobis permaxime cordi existit fixa nostri ne« potis dilectissimi ducatus defensio, atque sue persone « rebusque injuriam nostre et propriis illatam censemus. « Omnem favorem, petitum auxilium et promptissimum « succursum dabimus ad suam villam nostramque Ful« geris ab hostium intrusione recuperandam. Ceterum « nostrorum ambaciatorum eventum exspectare convenit, « quos rem ob istam Rothomagum, et in Angliam « Johannem Havart (A), nostrum scutiferum in mensa « scindentem, ex nostra parte summaturum regem « Anglie ut captam villam per suos et dampna illata « reddat, delegare celerem curam habuimus. »

Var. : (A) B *Avart.*

* A En marge : *Responsio regis Francie ad ipsos ambaciatores.*

CAPITULUM QUINTUM

De moribus quos nobiles Britanie insequebantur tempore Fulgeris invasionis; de effeminato curialium luctu intellecta Fulgeris capcione; de forti animi ducis paciencia in adversis, et suis curialium lugencium increpacione, et ex[h]ortacione ad virtutem militarem capescendam, et periculo quo ob deffectum armorum exercicii Britania versabatur ni rex Karolus celerem succursum dedisset.

19. Nec est pretereundum, non ut malivolus glorie et honori Britonum detrahere velim, sed persuadeam ut generosa nobilium posteritas pacis ocio honestati studeat et domi armorum usum addiscat, nec se inhercie et voluptati dedat corrumpendam ; sed si rei militaris indocta et rudis juventus prelium aggrediatur, paratior est ab hoste cedi quam cedere hostem. Cum enim ferox et immanis rex Henricus Normanos et regnum crudelissime affligeret, Johannes Britonum dux pace longua armis dissuetus, magis opportunus pati quam injuriam inferre, invasis auxilio non fuit, nec marcia virtute, ceterum inhermi belli abstinencia, et plus in adversis fortunam quam justiciam sequens, tandem falso pacis simulacro a predonicis hostium incursionibus Britaniam salvam fecit; et dum universum regnum atrociter impugnaretur et bellorum asperitas a Normanis et Gallis molliciem corporis et animi inherciam abdicaret, atque diurnum rei militaris exercicium induta ferri duricia egregios pugnatores decusaret, infida securitas armis soluta Britonibus voluptatis licentioris et rebus prosperis

aute fruendi fiduciam concessit, ac ocium inhers robur corporis et animi virtutem in desidiam cordis muliebrem adduxit ; atque, ut in rebus secundis evenit, mores depravati in voluptatem et luxuriam defluunt, simul et omnis rei militaris oblivio Britones armis ineptos capit. Nec strenuitate milicie corruente, muris urbium integris, potita deliciis Britania tuta quiescit. Non enim menia compacta ignavos, sed militum virtus bello instructa urbes et castra tutatur.

20. Duce enim Johanne, rerum prosperarum plenitudine et deliciarum voluptate freto, ab humanis subducto, Franciscus, ejus primogenitus, egregii et ingentis animi, in universa ducatus jura succedit, omnique neutralitate despecta, homagio ligio et sacramento fidelitatis prestitis, que rex Anglie ex paterna promissione recipere pretendebat, Karolum Francorum regem in supremum dominum acceptat ; hostesque, concepta odii amaritudine et accensa vindicte flamma estuantes, dolis latentibus in principatum, quem jam crudeliter invadunt, animo moliri solicitantur. Ac diebus illis, et potissime nocte qua insidiis Fulgeris capta, dux Britonum nichil periculi metuens, veluti tenere in deliciis educatus erat, cum dominabus petulancie muliebri indulgens, lascivos plausus et choreas ineptas agitabat ; et, ut pater insuevit, lucem in tenebras et tenebras in lucem confundere, noctem intempestam vigilare, diem operum factivum dormitare, galli cantu cenam et post meridiem prandium sumere, adhuc filius humanis institutis abutebatur. Et cum primum ad ducem, in lecto voluptatis torpentem, sole radiante, captio Fulgeris delata fuit, viri barbati aularii, si modo viri sint, pavidis mulieribus imbecilliores, in luctum effeminatum et gemitum anxium, non in arma virilia, prorumpunt, et exangues effecti, miserum

cum lacrimis femineis (A) plangorem miscentes, singultu sermonem intersecante, exclamant : « Perditi ex integro « sumus. »

21. Ac dux, sompno excussus, solus forti animo nova excepit adversa. Consorte enim lecti relicta, in diversorium Arturi de Monte-Albano, sibi familiarissimi, nedum vestimentis ornatus descendit ; inflammatusque, venis frontis ebulienti sanguine repletis, luctus suorum muliebres aspere increpat. Ille inquit : « Vestra in adver« sis constancia in spem optimam me erigere deberet ; et « effeminatior mentis egritudo, si molles (B) gemitus reci« perem, in desolationem adduceret. Heu (C) ! nobis volup« tate et deliciis affluentibus omnis animi virtus, omnis « corporis industria evanescit ; nichil enim ocio mar« centes, multum quidem armis exercitati, valemus. « Hec hostium invasio materiam virtutis exercende « nobis ministrat. Si enim hostes unam villam conspi« ratis insidiis usurpaverint (D), duas suarum, vice versa, « haud longe expectato, capiemus. » Et cum statum principatus in ambiguum versari cognosceret, a rejecto pigricie thoro expergiscitur, et recessurus Venetis ut in Fulgeris hostes militum presidia constituat, Redonis profecturum, duntaxat, ut a secretario presenti accepi, tres viri lanceis armati et quam plurimi inhermes ducem concomitantur. O stoliditas que numquam ante casum infortunii sapiens existis ! plusquam triginta annis in gremio hostes habuisti et nundum super innatum eorum dolum prudens es ut meditatas insidias previderes, ne latenter (E) et furtim erumpentes aliquid conspirati dampni tibi et tuis afferrent ? Et cum tuam villam obruerint,

Var. : (A) C *femineum* ; (B) A B *moles* ; (C) A B C *He* ; (D) C *usurparunt* ; (E) B *latentes*.

nulla bellorum industria, nulla arma militaria, nulli equi acres ducatum preparati juvabant, ut obviam iretur ne in totius principatus perniciem ulteriorem protenderent furorem ! Tunc igitur temporis, propter ignavam guerre abstinenciam, quam longo et inherti quietis ocio consecuta fuerat, nobilitas Britanie, armis minus docta, ad tantum inimicorum furorem refellendum imbecillis erat, quamvis membris nervosis robusta ; attamen magis in pugna, quam innate vires, diurnus bellorum usus ad obtinendum triumphum conferre solet. Nam in exordio omnis armate milicie aditus terribilis et periculosus existit ; nempe tiro rudis adhuc ferri asperitatem tristis refugit et insuetum prelium, quo primum formido mortis artus constipat, pavide aggreditur, quod exercitatus miles letus appetit et constanti excipit animo. Antequam ista juventus usu bellorum indigesta firmam pugnandi (A) audaciam sortita fuisset, tota Britania ignave defensa subversionis extreme periculo fortasse succubuisset, nisi celerato succursu rex providissimus invasioni obviam isset. Hic tricentos equites manu lanceisque prevalidos suo nepoti, ere stipendiatos proprio, accommodat ; cuilibet equiti adjunctis uno gladiatore et duplici sagittario, spada arcuque mortiferis ; atque regis precepto Pregens de Coitivi, in mari bellorum Francie princeps, et marescalus de Loheac, ambo Britones, egregii milites, ut duci auxilientur, ceterique Britones armis instructi qui regis bella gerebant, celeres accurrunt. In Fulgeris hostes intrusos armatorum bello prestantissimorum presidia ordinantur, qui barbaris impigri resistunt ne Britaniam cursibus predonum rapinam agentibus infestent, ut jam agros a suo fortalicio in viginti millia vastam in direp-

Var. : (A) B *bellandi.*

tionem adduxerunt. Post Gallorum adventum a frequenti invasionum repetitione inimicorum rapacitas arcetur, ac necessariorum munitione arctiori in fortalicii custodia noctu diuque accuratius invigilant hostes.

CAPITULUM SEXTUM

De juramento ducis et baronum Britanie, quod per dominum Dunensem et dominum de Priscigniaco receptum regi Karolo prestiterunt, se subsidium (A) *armorum laturos si casu in Anglicos bellum exitari contingeret, et de succursu comitis de* (B) *Paintievre eidem duci dato.*

22. Paucis post diebus injectis (C) sollenni pascha habente, rex Karolus providissimus, a reversis ambaciatoribus responso dolis involuto regis Anglie et ducis de Sombresset intellecto, non velle surreptam Fulgeris villam restituere compertum habuit. Protinus (D) ingenti lacessitus injuria, in ipsos hostes pugnam se gesturum suspicatur; et ut securius, prestito a duce Britonum et suis proceribus fidelitatis sacramento, belli negocium ageretur, ab ipso principe ejusque baronibus per comitem Dunensem, Aurelianis bastardum, milicia et consilio virum prestantissimum, ac dominum de Priciniaco (E), ad hanc rem specialiter transmissos in Britania[m], curavit juramentum exigi quod si ipsum regem in Anglicos guerram excitare contingeret, in ipsa excitata idem dux et

Var. : (A) A *subdium*; (B) A *comitis Paintievre*; (C) C *interjectis*; (D) A B *Pro cujus*; (E) B *Prestigniaco.*

barones se promptissima sumpturos arma et fidelissimum prestaturos famulatum voverunt. Et ad securiorem promissorum firmitatem propriis cyrographis regi datis se obnoxios constrinxerunt.

23. Post hec illustris dux Britonum jocundo animo et hylari facie jubet suos proceres et juvenes ex plebe electos impigre ferrum assumere ; ac federatis et sibi amicicia junctis, ut ad injuriam sibi illatam ulciscendam ferant auxilia, varias litteras scribit. Precipua in adverso temporis articulo Johannis de Britania, comitis de Paintievre et vicecomitis Lemovicensis, apparuit humanitas. Quamquam pater ducis deffuncti et Karolus (A) de Blesis, religiosissimus ejus avus, pro ducatus jure cruentum bellum gesserint, et post eorum obitum ipse dux Johannes ejusque fratres ex una, et altera parte Olivarius, tunc comes ejus germanus primogenitus, gravissimum discidium exercuerint, attamen vehementissimis injuriis pace sepultis, ex odio animorum affectibus in firmissimam amiciciam conversis, ipse comes heroem de Sancta-Severa, ejus nepotem, egregium militem, ad Britaniam in auxilium cum quingentis strenuis pugnatoribus transmisit, qui duci in extremo laboranti quamplurimum et fidelius subsidium armorum tulit.

CAPITULUM SEPTIMUM

De modo capcionis Pontis-Arche et per quos nomine ducis Britanie reducta fuit.

24. Cum strenuitas totius regni nobilium indigne ferret (B) illustrem ducem Britonum latentibus hostium

Var. : (A) A B *Karoli;* (B) A B *ferens.*

fallacium insidiis circumventum, ad vindicandum opprobrium quedam in Normania, alia in Vasconia (1), omne ingenii convertit acumen. Inter quos Robertus de Floques, vulgariter Floquetus dictus, vir acer, in armis perdoctus, ac dominus de Malonido, ambo de Normania creti, necnon Johannes de Bressiaco, miles strenuus de Andegavia natus, Jacobus de Bello-Monte, de Delphinatu ortus, bellis instructus, in urbe Ebroica et Locoveris residentes, non apertum sed artibus absconsum in hostes bellum gerere consilium ceperunt ; ut qui ruptis fraude treugis Britones fefellerunt inimicos, conspectiori ingenio deceptum irent, castrum et villam Pontis-Arche, munitionem fortissimam, quatuor leucis a Rothomagi urbe supra amnem Secanam constructam, subtili et arguto ingenio capere statuunt. Et ad hanc rem exsequendam Floquetus equo prepotens cum quadringentis prevalidis equitibus, ex parte Locoveris, in quadam silva satis prope Pontis-Archam de nocte insidias construit ; et ex parte Vulcasini pedites se abscondere in abditis jubentur, quorum Johannes de Bressiaco ductor erat. Naute simulati ratem frumento onustam a Locoveris in amnem Secanam subtus Pontis-Archam transducunt, assumpta fictione hanc Rothomagum vecturi. In flumen farris onus eiciunt ; sed (A) pedites armatos sub noctis silencio versus Portum-Sancti-Audoeni transfretant, et transvecti humi in cujusdam nemoris opaci latebris se abscondunt. Et ecce, quidam mercator, Guillermus Hoel, Locoveris oriundus, vir ingentis audacie et mire astucie, ex rebus quas Rothomagum ducere solitus erat quadri-

Var. : (A) B C *sed* omis.

(1) Il y a ici quelques mots omis dans les trois mss.; pour compléter le sens, on peut suppléer, par exemple, *castra capiendo*.

gam onerat, et per Pontis-Archam transmeans castri janitorem attentius orat ut cras summo mane alias mercaturas Locoveris quesitum reparaturo portam aperiat ; ut liberaliter consueverat, sibi promisit amplum vinum soluturum ; et policitis Anglus avaricia illectus in sui capitis letale periculum, et omnium suorum perniciem se facturum promisit. A loco insidiarum Galli latitantes de luce egredi non poterant quin de castro vel de ponte ab Anglis percipi oporteret ; et ob hoc mercator Gallos introducturus et pars insidiantium a latebris exeunt, et prope castri antemurale in hospicio nocte media se in abditis conferunt.

25. Ac rutilante aurora, hic mercator cum duobus insidiatoribus quadrigam variis rebus confertam revehens promissam sibi fieri aperturam supplex janitorem exorat, quam primo aggressu propter duorum assistenciam Anglicus dare formidat. Ac Guillermus Hoel ait : « Nichil « pericli ; hii socii sunt de Locoveris, duo probi merca- « tores. » Ac janitor, formidine posthabita, dicit : « Or, « bene ! introite. » Mercator vero supra ligneum antemuralis pontem redam sistit, donec a bursa duos britones et unam placam, in Normania monetam currentem, trahens janitori tradiderit ; ac janitor ampliorem pecuniam se habiturum debere pro tanto beneficio, nec vinum fore sufficiens affirmat. Tunc mercator, velut (A) tristis, ut promptum et liberiorem transitum consequatur, bursam excutiendo monetam humi proicit. Hoc acto, janitor, preceps ad sua pericula, hanc projectam pecuniam recolligens, se curvum prosternit, et illico ferro desub clamide extracto, Guillermus Hoel janitorem confodit, et

Var. : (A) B *velud*, presque partout de même dans ce ms.

equo veredo tybias abscidit, et una cum reda, gravi rerum pondere onusta, supra pontem corruit.

26. Audito tumultu, Anglici castro soporantes a sompno territi excutiuntur. Unus ipsorum, robustus et pulcherrimus juvenis, in camisia nudus accurrens, pontem castri erigere nititur, sed Guillermus ruens gladio ipsum adolescentem occidit. O preclara avaritia! castrum quod improbus labor militum armis apertis vix expugnasset, temporis instanti vincis et pro tam insigni facinore tuo auctori mortis stipendium, id quod avaro existit premium, impendisti. Tum pedites e latebris in pontem, in ville portam, ingenti clamore excitato, prorumpunt, quam Anglicus, vir bellicosus, robusto corpore et constanti animo longa pugna tuetur, sed tandem facile unus a pluribus consternitur. Et altero latere Floquetus et heros de Malonido, bello strenuissimi, cum suis acribus equitibus portas accurrunt. Hoc ingenio, hac probitate, villa subacta, fores recluduntur et equites intrant. Tuba recurvi et directi eris hostibus infesta reboans hostes terret, alta et jocunda voce clamitans: « Sanctus Yvo, « nostre victorie aspirans, gloriose extollatur! Illustrissi- « mus Franciscus, dux Britonum, feliciter vivat! » Hic Anglus confoditur, alter vinclis retruditur. Anglorum major quam centum numerus vel morti vel captivitati additur, inter quos vir potens comes de Foucamberge carceri mancipatur. Cuilibet incole Franco integra sua fortuna reservatur; illa Anglorum sola in predam communem inter victores distribuenda venit. Portis ville ducis Britonum insignia loco eminentiori divite ornatu depinguntur. At pavefactus quidam barbarus, qui ut nudus jacebat a lecto surgit, saltu precipiti pericula inopinata per muros evadens, Rothomagum decurrit, nunciansque Pontis-Arche captionem, universam urbem et

precipua formidine ducem de Sombresset territum, necnon ceteros Anglicos, admodum concussit. Tum animadvertunt instanti discrimine Rothomagum, ducatus apicem, tum alia castra supra Secanam perditionis confinio versari.

CAPITULUM OCTAVUM

De furore ducis de Sombresset quo insanit, capcione Pontis-Arche per nuncium relata ; de ipsius nuncii incarceracione ; de merore ducisse et erga medicum pietate ; de seriosa nuncii ducis delusione ; de consilii ipsius ducis et herois de Talbot mutacione Pontis-Archam obsidendi ; de Normanorum letitia ; de Britonum merore.

27. Attamen ipse dux, ut primum infausta referentem nuncium accepit, implacabili accensus furia, super castri perditione ipsum interrogat ; cui asserit per Gallos esse occupatum. Ac ipse rei tante incredulus obloquitur : « Tu ingens proditor, perversum refers mendacium. « Hora diei hesterne decima a Pontis-Archa me conti- « git abscessisse ; tunc de hostium aggressu nullus ad- « versi rumor, nulla sinistri trepidatio, sed omnia in « tuto erant. Tantas ville, opidi et pontis munitiones « uno instanti amissas, negat facti impossibilis execu- « cio. »

28. Tum dux furibundus acerbum nuncio capitis supplicium inferre minatur, hunc in tetrum carcerem rapi jubet. Constantique animo nuncius propositique tenens, non formidat asserere : « Si rei geste veritas, ut « enuncio, manifesta non elucescat, plagis mille, frustis

« mille corpus lacerandum vestro arbitrio submitto. » Scalor enim incredibilis et meror inauditus tante rei novitate ducissam et universam familiam oppressit. Hec thori ducis consors adhuc lecto accubans, velut frenesi arrepta et matronalis pudoris oblita, nuda in camisia, absque secreta tunica, a cubili prosiliit et anxio dolore commota exclamat : « Hujus ducatus omnia possessa « hec erumnosa ville captio in miserandam perditionem « cuncta non expectata trahet. » Et quamquam adversa sorte non mediocriter Gallis infesta cruciaretur, tamen hec erga magistrum Johannem Tyffeigne, medicum Gallum, tunc hanc in thalamo visitantem, egregiam retinuit pietatem. Hec maritum cognoscens adversis insanum, si usquam huic sorte occurreret, medicum crudeliter necaturum, quamobrem inter cortinas thori latitare, ut saluti consuleret, et abscondi jussit, donec furibundus conjux aliorsum a conclavi evaserit. Anglia * enim impios viros et malefidos, feminas vero pietate insignes et bene fidas parit.

29. Tunc temporis ipse dux Anglus insidias conflans, laternam ad castra noctis conticinio surripienda accommodatam, atque balistas ad murorum custodiam preter modum iniquo tractu fatificas, in diversorio conclavis mercari fertur, et sic sua arte, qua deludere alios conspirabat, doli inventor merito infeliciter deluditur. Hoc accepto, dux vesanus machinas inemptas projecit; et ipse frendens velut aper penetrale conjugis egressus purpuram a tergo rejecit, vestem militarem induit, ferrum corvirostrum rapit, ebulienti nudatoque capite in curtem castri sese precipitans huc illuc flamma ire ardentes oculos volutat. Magna enim Anglorum circumseptus caterva de

* A En marge : *Nota*

precipua formidine ducem de S
non ceteros Anglicos, admod
madvertunt instanti discrimi
apicem, tum alia castra supra
finio versari.

CAPITULUM

De furore ducis de Som
Pontis-Arche per nunc
incarceracione ; de me
pietate : de seriosa nu
ipsius ducis et her
Archam obsidendi ; a
tonum merore.

27. Attamen ipse
nuncium accepit, in
perditione ipsum
occupatum. Ac ip
« Tu ingens pr
« Hora diei heste
« git abscessisse
« versi rumor,
« tuto erant. T
« uno instanti
« cio. »
28. Tum
supplicium
rapi jubet. C
nens, non
« enunci

ovi-
peri-
mmen-
super-
potencie
opportunius
superbia veritatis
nere putas, in

sibi fidissimum ad
tatem transmittere
Non enim unum
atissimam ad tam
deputare vix con-
non segnes modo
rum acerrima equita-
amquaque effusi regio-
vertunt. Si unus nos-
quid invenerit, non
ansfodi, vel in vincula
em ad investigandum

presque toujours dans

[illegible] Archam occupat, dux,
[illegible] norum nuncium trans-
[illegible] jus inquisitio illuderetur,
[illegible] ne Anglico respondere quem-
[illegible] terna britonisantem Floquetus
[illegible] es jussisse vulgo putantur. Non
[illegible] sione Britannico ydiomate delusa,
[illegible] it : « Vestra verba non capio ; certum
[illegible] mine, qui fuerunt illi, qui contra treu-
[illegible] tatem istam villam sibi usurpare audent. »
[illegible] s Brito ab Anglico interrogatur, eo magis,
[illegible] te jocundo risu astantium, britonisare conatur;
et [illegible] barbari dolo conspirato, bellorum jura confundendo, sacram treugarum fidem illudebant, et non aliter Galli serioso ridiculo (A) confusam et illusam eorum summationem fecisse dicuntur. Tandem responso non apprehenso, nuncius ludibrio habitus inanis ad suos principes revertitur.

31. Ac dux de Sombresset, necnon heros de Talbot derisi ebulienti ira acrius inflammantur, et Pontis-Archa sue ditioni substracta, longe sibi affore pejora verentur; et si fidei burgensium Rothomagi custodiam deputare securum arbitrarentur, protinus in armatos Pontis-Archam occupantes irruerent, quamquam graves et difficilimi insultus ad tantam munitionem aggrediendam imminerent. Profecto non minor quam duarum egregie pugnantium legionum copia ad Pontis-Archam oppugnandam sufficeret. Una castrum validum Vulgasino constructum, altera villam munitissimam ponte intermedio obsidens, neutra subsidium mutuum alteri deferre valeret. Anglici ideo verentes, si urbis claustra exire contingeret, ne

Var. : (A) A B *rudiculo.*

redeuntes ipsos cives excluderent, ab invasione Pontis-Arche divertunt propositum. At egregia belli fortuna vices suas varians equo ludo Pontis-Arche captione illam Fulgeris compensat, et partim injuriam duci illatam ulciscitur. Nam si Anglicis in ducatu fraude surripi unam permiserit villam, nomine Britonum in eorum obediencia preclaro ingenio capi concessit alteram. Hinc jocundissimum proverbium decurrit : « Ictus alape celer in « barbarorum genas reflectitur. » Manus ejus vivat in eternum, que tam apposite novit mutuum colaphum referre!

32. Illa tempestate meror et gaudium insimul miscentur; nam intrinseca tristitia unam nationem afficit, ac ingens letitia reficit alteram. Profecto Fulgeris ville surreptio munitissimum hostium receptaculum toti Britanie furore conspirato, in miseros acerbissimam captivitatis et stragis cladem minatur. Et felix Pontis-Arche ville reductio, castri in hostes prevalida munitio, toti Normanie concupitam libertatem et jocundissimam vite securitatem policitur. Illa infestissimos hostes, hec dulcissimos amicos introduxit. Illa incolas fraude subactos a cunctis extorres laribus propriis expellit; hec ab immanissimis inimicis arte redemptos incolas omnium bonorum suorum possessores integro statu in natali origine retinet. Surrepta Fulgeris villa, Britones sub crudele jugum adituri, ni Summus advertat, gemitu et merore amarissimis conficiuntur; hac reducta sub rege suo Pontis-Archa, Normani a durissima tyrannorum servitute exituri leticia ingenti et risu interno profunduntur (A).

Var. : (A) C *perfunduntur*.

CAPITULUM NONUM

De capcione fortaliciorum Cogniaci et Sancti-Magrini per Verdunum in Vasconia, et Patuli-Regis et opidanorum occisione per heroem de Moy in Belvaco; de ville castrique Concharum [captione], et de Anglorum ignominiosa expulsione per Robertum de Floques in Normania; de instabilitate fortune armorum.

33. Dum hec feliciter aguntur ob dignum ducis Britonum furorem, quidam nobilis de Vasconia, Verdunus nomine, cum scalarum machinis fortalicia de Cogniaco et de Sancto-Magrino, Burdegalis versus plagam, erepta a barbaris in naturalem Gallorum communitatem retraxit. Ad que regis Anglorum nomine eorum capitaneus, Mondotus de Lansac, a Burdegalis urbe reversurus, adhuc sub manu Anglorum fore arbitrans, in Verduni potestatem captivus decidit. Et eo Marte heros de Moy, militaris rei non ignarus, Belvacensis patrie protector, castrum Patuli-Regis latrunculis cumulatum expugnat, et quotquot Anglici inibi reperti, qui innocentium guttura solvere consueverant, sontes ferro transacti occumbunt. Ab hac enim non immerita punitione eorum capitaneus, Johannes Herpe, Anglicus, tunc pago Gorniachi (A) absens, solus intactus evasit. Et cum fortuna anceps (B) et instabilis casu adverso precipitem ceperit volvere rotam, et ut libet fragili tyrannorum prosperitate ludens, violentum sistere nescit impetum donec nedum unum sed plures in excelso vectos gravissimo lapsu obruerit, quos mari,

Var. : (A) B C *Gorniaci*; (B) A *Auceps*.

terre formidolosos, modo armis potentes extulerit, nunc inermes, velut effectos ex viris mulieres, ludibrio patentes expellit, ecce ille Floquetus, armis paratissimus, Concharum repente transcendit muros, ac hostes terrore mortis in castro exactos obsidet, impigre fatifico tormenti fulgure dempsam muralem perforat congeriem. Inclusi perterriti et salutis inexpertes, ad purum Floqueti arbitrium se dedere compelluntur; quos sub hoc pacto accipiens, omnes pedites exire cogit, quemlibet baculum ut colum dextera enixum, non hastam gerentem.

34. Proth dolor! quam fallax belli tyrannorum gloria in summo rerum culmine superbos erigit, ut ab excelso honoris gradu prolapsi opibusque exuti tristiciam ferant amarissimam! Cur igitur splendore triumphorum, Anglia, superbis? Inicium tuorum bellorum, preclarum, magnificum, et omni laude extollendum a cunctis mortalibus censebatur; exitus vero pusillanimis, ignominiosus, et omni ludibrio re[s]persus non indigne propatulo cunctis habetur. Profecto, nec propter aliud crudelibus armis insaciabilis dominandi Anglorum libido Normaniam occupasse videtur, quam ut ereptam ignominiose perditum iret. Et ut prospera fortuna tot excelsas de Gallis victorias Anglicis adjecit, nunc adversa, velut ad ostensionem humane fragilitatis, subito demoliens quod longo et gravi labore cumulaverat, victores in fedam adversus Gallos pugnam ignave superandos modernis diebus attrahit. Nec dum res postulat ut ceca versucia rebus periclitantibus consuleret, benignius oblatas pacis erras acceptare permisit. O marcia juventus, que rerum gestarum magnitudine animos extollis, cognosce: in manu Dei invictissimi divitie, honores, sceptra (A), diadema

Var. : (A) A *ceptra* et partout de même.

triumphorum nitor concluduntur ; et que elargiri potest, sui arbitrii est illa preciosa mortalium estimatione ut et quando vult aufferre. Justum enim erat ut tendiculis factionis absconsis, quibus fracta fide innocentes gravissimo dampno fefellerunt, Anglici irretiti sontes illaqueentur (A). Nec ulla lex est justior ista, quam flagiciosi insidiarum artifices copiosas subeant vices, atque ad hominum securitatem turbandam inventores subdole artis nequicia pereant.

CAPITULUM DECIMUM

De responcione regis Karoli nuncio archipresulis Burdegalensis et ambaciatoribus ducis de Sombresset, magistro Johanni Infantis et cuidam Anglico, ejus college, fortalicia in Vasconia et Pontis-Archam regi Anglie restitui instantissime postulantibus, nulla Fulgeris reparacione per eos oblata.

35. Non multis diebus interjectis, nuncius armorum ex parte archiepiscopi et civium Bordegalis transmissus Karolum regem aditum propensius orat ut fortalicia de Cogniaco, de Sancto-Magrino, Anglicis Vasconibus reddere intrusos jubeat, et deinceps ut prefato archiepiscopo salvum conductum annuere dignetur ; quo obtento, ipsum archipresulem ad regem enunciat gressu celeri accessurum. Quibus super fraude petitis, nuncius inanis et vacuus recessit.

36. Deinde magister Johannes Infantis, ducis de Som-

Var. : (A) A B *illaqueantur*.

bresset et deinde de Talbot ambaciator, natione Normanus, et quidam Anglicus ejus collega, Karolum regem adeunt, Pontis-Archam et castrum Patuli-Regis, nulla per eos usurpata reparari offerentes, Anglorum ditioni restaurari accuratius postulant. Ad que Karolus rex justissimus orsus est. Si villam Fulgeris arte proditoria surreptam, et omnia incolis ablata grassatores Anglici ab integro refundant, se tantam daturum operam ut carissimus ejus nepos, dux Britonum, et sua sequentes arma, opida petita in Anglicam potestatem reponerent. Alias, ut iniqua et equitati dissona, petitio eorum minus erat admittenda. At ambaciatores super facto Fulgeris quidquam tractare nullam a suis principibus sibi concessam potestatem asserunt. Propterea ut rex fraudulentam cavillantium astuciam rogantem regno nocitura, velle dolis ipsum circumvenire prospexit, absolutam dat ipsis repulsam; et frustrati spe captionis ambaciatores, nulla super petitis impetrata sortiti, Rothomagum tendunt.

37. O Anglica versucia! qua fronte, quo jure postulare sumis audaciam ut castra ad naturalis (A) domini obedienciam juste redacta pretextu treugarum tibi restituantur, et tu aspernaris opidum, contra treugarum fidem per te proditorie usurpatum, vero domino restaurare ? Divina ac humana justicia tuam petitionem summe iniquitatis arguit, si ut quod ab altero tibi fieri requiris, dum idem alteri equa lance metiaris. Iniquitas tibi summa fuit, villa Fulgeris surrepta, juratam treugarum fidem infringere; et equitas summa est tibi injusta petenti juris auctoritate eamdem inficiari fidem.

Var. : (A) C *natalis.*

CAPITULUM UNDECIMUM

De ambaxiatorum regum Francie et Anglie in abbacia Boni-Portis convencione; de oblacione per ambaxiatores regis Francie illis Anglie pro bono pacis componende summa equitate facta, et de ejus injusta per Anglicos denegacione.

38. Reiterata demum ad pium Francorum regem versuti ducis de Sombresset legatione, ad instantem sui postulationem heros de Culento et magister Guillermus Cosineti transmissi ad Locumveris proficiscuntur. Et deinceps in Boni-Portis abbacia juxta Secanam convenientes, Pontis-Archam, Conchas, et Patuli-Regis castrum, omniaque spolia in eis per Gallos ablata, necnon Anglum comitem de Faucamberge captivum, ex parte regis Karoli, quamquam belli fortuna hoste superior esset, legatis Anglie se facturos restituere offerunt; attamen optima lege, si prescriptus dux nomine regis Anglie duci Britanie leso villam et Fulgeris opidum, cunctaque inibi per aggressores rapta, communi estimatione xx[ti] centum aureorum millia valere, reintegrare curam agat (A). Et si parata manu omnia petita, forsan propter eorum consumptionem, restituendi facultas abesset, pro securitate ydonea, castra, aut in vades, quousque satisfactio secuta foret, viri locupletes traderentur. Et insuper, ut nulla rei inconsulte occasio tractatum dilatare aut impedire valeret, si super aliis dampnis illatis Anglie ambaciatores querimoniam agitare contin-

Var. : (A) A B C *agant.*

geret, Francie legatis cuncta reparare faciendi concessa potestas erat. Hiis vero in pristino statu repositis, et omnibus ab utraque parte ferri excessibus ad nichilum redactis, rex humanissimus inter duo regna treugas inviolatas fideliter se observaturum policetur; que oblata, tanquam justissima et plus parti adverse quam offerenti profutura, Anglica protervia, pacis hostis, in sui principatus usurpati necem acceptare recusat.

39. *O ceca regni libido! qua vesania tam humanum, tam tibi salutiferum pacis tractatum renuis? O vecors! oblata enim, que abicis, armis assequi, et usurpata, que reparare contempnis, ferro tutari non vales. Est tibi atrox et fedum bellum potius, ut miserrima belli clade pereas, et universa, nedum cismarina sed trans pontum (A) detenta, amittas, quam pax sancta, ut felicior pacis transquillitate vivas et majori in parte male parta ac regnum integrum conserves. Ceterum, recto Dei judicio hec aguntur ut sors fatalis tua iniqua imperia ad subitam ruinam, et te, humano cruore fedatam, ad sanguinis macellum trahat. Nec manu potenti, nee mortalium industria, obviam itur, ut conditio tyrannorum fragilis et principatus injusti in nullo stabilita diuturna prosperitate consistat; verum flatu fortune violento huc illuc impulsa, quos variis triumphis gloriosos et florentibus opibus opulentos sustulerit, mox improviso recursu in summe (B) profundum calamitatis demergit. Vis igitur, demens, propter denegatam unius ville reparationem casibus fortune volubilis universas opes committere et incerta pro certis optare? Verum enim bellum unusquisque, etiam ignavus, facile

Var. : (A) A *ponthum;* (B) C *summum.*

* A En marge : *Invectiva adversus Anglos adversarios injusti belli auctores.*

excitat, sed incepta non absque maxima hominum et rerum clade geri nec ferri potest, et postremo egerrime relinquitur, nec illius cujus cruentum bellum fuit incipere excitatum deponere, ceterum plerumque temerario belli auctore domito, et cunctis fortunis ereptis, victoris arbitrii est.

CAPITULUM DUODECIMUM

Qualiter rex Karolus, post varias ambaxiatorum impensas frustra consumptas ab hostibus, suos consiliarios in unum congregari jussit, et in presencia duorum notariorum primo cancellarium, deinde cancellarius alios, jurare fecit ut sibi fidele consilium, favore et metu posthabitis, darent, an sine detrimento honoris juste contra hostes apertum bellum movere poterat.

40. Post varias ambaciatorum impensas inani labore sepius repetito consumptas, rex Karolus justissimus, ut accepit qua simultate, quibus dolis, in treugarum prosecutione erga rem publicam inimici utebantur, in duorum presencia notariorum suum magnum consilium accersiri jussit, cui mentis secretum, fere post quatrimestrem lapsum a misera Fulgeris direptione, apperuit protestans ut pacta treugis inserta inviolabiliter observare, nec aliquid sinistri nec subdoli contra earum fidem volebat moliri, quod in sui honoris dignitatem a posteris impingui posset. Deum et homines attestatur quod cum suo nepote Anglie firmam pacem componere quam

guerram cruentam gerere mallet (A), si hostes jurate conventionis fidem servarent. Sed cum ab inimicis se delusum videret, rebus suorum subjectorum afflictis, aperto bello, si absque fame detrimento jus armorum pateretur, succurrere votis flagrantibus gerebat. Quam ob rem virum clarissimum Francie cancellarium per se idem rex, deinceps ipse cancellarius ceteros consiliatores, stricto religionis sacramento astrinxit, ut omni metu et favore posthabitis, sue majestatis estimatione non offensa, fideliter consulerent an juste, non repugnantibus treugis, bellum hostibus inferre valeret.

41. Ac cancellarius, vir summe auctoritatis, responsum dedit : « *Ut vestra majestas jussit, an bellum cum « Anglicis sit gerendum, disserens absolvam. Eo vestra « superillustris, majestas, potestatis fastigio sublimata, « regno universo principatur ut, sollerti animi virtute et « exactissima corporis opera, procellosos bellorum tur- « bines transquillam in pacis beate serenitatem primo, « si possit, mitti concordia ; sin autem extremo compulsa « rigido ferro commutet, ac populum fidei creditum a « pestiferis hostium incursibus contritum eximat, et « ab omni nedum periculo verum bellorum formidine « reddat securum. Profecto non tam preclari fulgor « generis, non tam coruscantibus illustrata gemmis « corona, quam excellens animi magnitudo et stricta « justi observancia dignum principatu regem ostendit. « Bello enim, si pro urgente rei publice succursu pro- « priam salutem in mortis discrimen offerre non for- « midet, si violentos predonum raptus cohibeat, si rabi- « dam hostium infestationem propulset; pace vero, si « subjectos mansueto et leni imperio regat, potissimum

* A En marge : *Oratio domini cancellarii in consilio ad regem.*
Var. : (A) A *malet.*

« si a fortunis eorum, ni necessitas universi postulet, « modeste abstineat; si spectatos sciencia, fide et rerum « experiencia, munerumque spretores super populum « judices instituat; si eque inter omnes proportionatam, « gracia, odio posthabitis, justiciam servet, tunc hoc « opus non humanum sed divinum, Deo non absimilem, « plusquam mortalem, velut quoddam Numen, hunc in « terris facit venerari, et a terreno imperio in eternam « regni celestis gloriam transferri. Magnopere enim, « citra horrendam cruoris humani effusionem, lace- « rantem rem publicam hostilem rabiem compescere « vestra solicitudo, non absque gravi labore et auri tem- « porisque ingenti dispendio, nixa fuit. Idcirco vestris « legatis sollemni more stipulantibus, vester hostis treu- « garum ocio in Franciam transfretare regiam fidem « astrinxit, ut inter duo potentissima regna furiosa dis- « cidii inveterati clades celesti federum numine placa- « retur, quod Anglica fraude imbutus minus fideliter « adimplevit, verum mendax astucia juratam fidem « fefellit, nec quidquam promissorum consummato « opere fecit. Haud enim referta dolo barbarorum cali- « ditas, premeditata treugarum concessione veram pacem, « ceterum suo regi sacro lilio cretam thori preclaram dari « consortem, et occupatas urbes annone penuria exina- « nitas recreare captabat. Uxorem vero illustrissimam ex « treugarum precio sibi matrimonio adjunxit, et alimen- « torum copia urbium inopiam habunde refecit. Quid « inde? Infida regni ambitio et insaciabilis rapine ardor « treugarum pacta servare minus curat, que hosti fidem « negligenti fieri equa (A) juris ratio non dictat. Fides enim « facienda adest, dum inter utrumque consummate (B)

Var. : (A) B *e contra;* (B) B *consummato.*

« promissa fiunt; si a fide pacta unius pravo ingenio « corruptus decidat, alterum rupto vinculo fidei solutum « publica juris decernit potestas, et delusa fides inanis « per aera evanescit. Igitur ubi salutem, vario labore repe- « tito quesitam, populo bellorum anxietate oppresso con- « cordia afferri non potest, necesse cogit vestram majes- « tatem ex officii debito regno invisa calamitate afflicto « justis armis comparare securitatem.

« 42. Et si majores Anglie transversa fides sceleris per- « fidie dampnet, an vulgus immune a tanta labe infide- « litatis absolvat considerate. Vulgus Anglum, vulgus « crudum et incultum; nichil mansueti, nichil firmi « habet. Ubi maxime princeps fidei contemptor nec recti « cultor existit, facile perversum exemplum sequens in « scelus et nephas labitur, quamplurima flagiciosa per- « petraturum. Et si induciarum ocio per Anglicos acta « intime scrutentur, infidam eorum simultatem, que « unum in lingua pretendit, aliud opere semper exse- « quitur, nedum juratas treugas violasse, verum promis- « sam sacramento fidem numquam adimplevisse, certum « apparebit. Ac tametsi Anglica barbaries palam regni- « colas infestare non habuit, verumptamen absconse ex « abditis nemorum ruens, ut itinerantibus obviat, unum « rapto spolio robore alligat, alterum excruciatum inter- « ficit. Verum enim navalem apertam pugnam in Hys- « panos, necnon campestrem in Scotos, antiqua federum « compage Gallis amicissimos, treugis inscriptos, crude- « lior exercuit, ac sanguinolenta immanitas spoliorum « appetens et Gallorum jugulis semper intenta, nunc de « Rupella, de Depa, nunc de Britania, piratica rapaci- « tate preciosis onustam negociatorum classem expu- « gnavit, raptas mercaturas abstulit, expugnatorum cor- « pora in hyantem pelagi voraginem submersit. Et si

« non per altum navigantes, nonne per terram, ob regum « majestatum reverenciam mercatores ceterosque incolas « de una in alteram urbem profecturos, publica treugarum securitas a consueta Anglorum incursione protexit? minime. Profecto ferocissimi latrunculi Medunte, Vernolii, Longiaci, Anglorum presidiis absconditi, humano habitu exuto, larvas, demonum difformitate, horrendos vultus superinducti, publicum Pariense iter Aurelianis tendens, ac illi de Patulo-Regis, de Novo-Castro, de Gorniaco, stratam Remis in Parisiam urbem directricem, assiduis insidiarum latebris obsident, et letali mucrone itinerantium guttura resolvunt, merces, aurum, argentum, depredantur. Et si egregii bellatores treugarum confidentes immunitati vel rei familiaris aut recreationis gracia se rure conferant, infidus Anglicus furor, vindictam sitiens illorum qui prestancia virtutis in Anglicos mortifera gesserunt prelia, inhumana strage jugulant. Anglorum vero treuge minus quam apertum bellum Gallis securitatis afferunt. Furenti Marte nemo campis confidit; nam armis, vel salvo conductu, saluti consulit. Treugis gladius in pharetram reconditur; alterum in latrunculos minime prodest. Hec nephanda maleficia rebus et corporibus illata rex Anglie atque sui officiarii, treugarum conservatores in Normania, instanter summati reparare calide dissimulant.

« 43. Ergo ipsum bellum apertum in federatos, variaque « per mare et terram latrocinia atque strages hominum, « ac Fulgeris direptionem, fraudulenta scelerum inultorum dissimulatione, perpetrasse censentur. Cruor « igitur innocentium ex fractionis industria tyrannide « effusus, et publica patrie direptio ad divinam justiciam « in perditissimos siccarios ultionem exclamant, et a vestra

« majestate in famosissimos grassatores condignam tan-
« torum scelerum reparationem poscunt. Profecto gen-
« tium jura et omnis severa legum sanctio in istos
« armatos, in crudelissimos piratas, in ferocissimos pre-
« dones rerum et cruoris hominum exhaustores, vobis
« ferri vindictam exercere precipiunt, ut vestra manus
« armata tyrannorum furorem propulset apertum, late-
« brosas grassatorum restringat insidias, a mucrone san-
« guinolento homicidarum jugulos vestrorum fidelium
« eripiat, atque predonum crebris ab incursionibus maria
« et terras reddat securitati. Haud torpere licet treugarum
« occasione protectionem rei publice debitam impendere ;
« nam fidem treugis promissam nedum fregerunt sed
« nec usquam hostes servare contingit; nec subdolis igitur
« [et] perfidis auctoribus in perniciem rei publice mutuam
« fidei vicem referre quam non observant, vult sacri juris
« auctoritas. Si publica fides jurata scelestam nocendi
« voluntatem hostibus extorquere non potuit, saltem
« vindex perjurii gladius in rem publicam ulterius
« seviendi facultatem abscindat. Federatis enim et sub-
« jectis afflictis opitulari, debellareque tyrannos publica
« commoda vastantes et ab immani eorum crudelitate
« populum sibi creditum redimere, preclara res justi-
« cieque plenissima et summa principis laus est. Si vestra
« majestas in hostes dimicare non putet, quibus crude-
« liter depredandi magis per dies estuat affectus, num-
« quid insontes exicio traditura est que in tyrannos non
« insurgit multorum necem conspirantes? Et (A) ex adverso,
« si vestra manus eorum furorem extirpet, nonne dire
« servitutis vincula dissolvet, carceres tetros franget inclu-
« sis, ab exilio profugos et peregrinam pacem feliciter in

Var. : (A) B *Etiam.*

« patriam revocabit? Si enim [ad] tantorum scelerum « vindictam assumendam nos pigros et desides diurna « moretur incuria, ista pestis Anglica, Gallorum glorie « et prosperitati ab evo insidiosa, per dies et dies dilata, « acrior ingravescet. Non modo unam patriam, ceterum « universum regnum incommodis, que nulla reparabit « etas, afficiet. Et quid aliud futurum erit, nisi quod « unusquisque predo, quantum insidiis et ferro poten- « tior erit, tantum imperii avare et impune (A) alienos prin- « cipatus usurpare audebit et se crudelissimis armis in « regem efferre? Ne ergo hujus flagicii inulti libido in « omnes principum fortunas progrediatur, et ne effrena « ferri licencia omnem regni quietem turbatum et omnes « perditum eat, hanc severissima animadversione ulcisci « oportet.

« 44. Igitur non est amplius immorandum ut subdole « Anglorum caliditati obviam non eamus, nec falso pro- « missis eorum rei publice tuitionem relaxare fas est. « Nempe versucia Anglica solam conspirat occasionem « ut clandestinis latebris, quod aperte nequit, nos Gallos « negligentes et plus equo credulos opprimere maturet. « Federa cum Gallis, bello non indicto, semper ruperunt. « In treugis nunquam fidi fuerunt reperti. Gallicos agros « inopina clade millesies depredati sunt. Munitiones in « Normania non solum, sed in Britania etiam, expec- « tantes in alias regni partes dilatare opposuerunt. Quid « temporis jacture induciarum laxamenta, quid periculi « dilatando bello adiciunt, videamus. Tociens legatio « egregiorum virorum inaniter repetita spe componende « pacis incassum semper itura, tot maris procellis, tot « terre discriminibus versata, quid secreti rex Anglie

Var. : (A) A B *avere et impugne*.

« animo an pacem vel bellum gerat, minorem certitu-
« dinem ultima quam prima ad vestram majestatem
« retulit.

« 45. Quid plura? Fulgeris inhumane depopulationis,
« jugulorum resolutionum, latrociniorum, piratarum et
« predonum experiencia, et istorum scelerum dissimu-
« lata reparationis denegatio, in Anglorum crudelitatem
« nos arma capescere cogunt. Cur igitur in rei publice
« perniciem, conscientia (A) fidei treugarum lese, in Angli-
« cos bellum movere veremur, et nostra ignavia per late-
« brosam eorum simultatem rem publicam pati absor-
« bere? Consciencie scrupulum non habemus. Si An-
« glica versucia, fracta fide, Deum et honorem offendere
« non formidat, cur, si adversus ejus infidelitatem armis
« insurgamus, summum rerum Patrem ledere et nostre
« fame nitorem maculare justo bello veremur? Summus
« enim honor, summa laus, summum premium viris
« illustribus debetur, qui federum violatores cum acer-
« rima severitate exterminant et publicas injurias acrius
« ulciscuntur. Et ne absque justo titulo remorati dimi-
« care vereamur, nostri belli et hostium justiciam cognos-
« cere fas est. Diversa enim pugne necessitudo nos et
« hostes ad arma rapienda impellit. Nos invasos natalis
« pietas pro salute populi, pro regni tuitione, in crudos
« aggressores certare cogit. Hostes enim invasores torva
« dominandi ambitio, pro rapina spoliorum, pro imperii
« libidine, exagitat ferro insanire. Pugnamus vero, non
« ut pugnam jugiter agamus, sed ut justo bello rebus
« afflictis pacem comparemus. Ac ex adverso hostes cer-
« tant uti in armis continuo ex raptu ferinam ducant
« vitam; quo audacius, si recta intentio nostra arma diri-

(A) conscii.

« gat, prelium aggrediamur. Nam ubi justa certaminis « ratio belligerantes adjuvat, caritas patrie desolate com- « patiens arma induit. Juste ac recte pugnanti celestis « victoriarum Princeps solet gloriosum conferre trium- « phum. »

46. Hiis et aliis persuasionibus unanimis omnium consiliariorum sentencia fuit quod, absque fidei et fame illese consciencia, rex in Anglicos bellum gerere, ymo sine gravi consciencie et regni discrimine amplius differre non poterat.

CAPITULUM TERTIUM DECIMUM

Qualiter rex Karolus, deliberatione magni consilii habita, se in hostes apertum bellum moturum conclusit, et pro ejus expedicione comitem Dunensem generalem locumtenentem instituit; qualiter Joachim Rouault et Britones in presidiis Sancti-Albini militantes quamdam Anglorum turmam de presidio Fulgeris, detectis eorum insidiis, debellaverunt.

47. Deinceps rex Karolus, sanctissima intentione pro rei publice salute mature digesta, consilii magni deliberatione fretus, in hostes a Normania depellendos se bellum suscepturum decrevit; et illustrissimum Johannem Aurelianis bastardum, comitem Dunensem, armorum ducem strenuissimum, generalem pro felici guerre expeditione, data omni regia potestate, locumtenentem constituit; qua tam prudentis et sollertis animi constancia et tam continui laboris opera fretus est, quod ejus preclarissima

gesta non minori quam Pompei aut Cesaris laude gesta digna videntur.

48. Interea quidam equestres Anglici armis instructi, Fulgeris egressi, Joachim Rouaudi, unius turme Gallorum equestrium ductori, ceterisque in castro de Sancto-Albino-des-Cormiers pro Britonum duce presidia tenentibus, insidias tendere maturant; sed detecte in miseram tendentium stragem et fedam eorum fugam procedunt. Ecce Galli de Sancto-Albino et quidam Britones, acribus vecti equis, Anglicas insidias subito ac virili impetu aggrediuntur. Anglici repente invasi terga dant fuge (A); ast Galli, equis calcaribus adactis et cuspidibus ferri pretentis, dejectos Anglicos fugientes consternunt; quosdam stratos mucrone jugulant, aliosque captivos vinciunt, ceterosque, ferro tergis fugientium inherente, in Fulgeris januas prosequntur. Heu! quidam strenuus miles, nimis audax, in valvis capitur, et inter manus captivantis ab Anglo, pro nece cujusdam consanguinei cesi recenter, irritato confoditur gladio. Centesimum cum deno bino Anglorum numerum alacris Gallorum victoria aut cede vel captivitate ab hostili Fulgeris presidio secernit.

CAPITULUM QUARTUM DECIMUM

Qualiter rex Karolus longius ante in ordine militum certum modum, certam legem imposuerat, et de novo sagictarios ex plebe electos in rusticos Anglie pugnaturos instituit.

49. Longius ante rex Karolus prudentissimus in ordine militum certum modum, certam legem apposuerat, que

Var. : (A) A *Anglici... fuge;* ce passage omis dans le corps du texte, rétabli en marge, manque en C.

levi vix penetrabili armatura et absque raptu vivendi genere omnem priscorum illustrium disciplinam antecellunt. In quindecim strenuorum bellatorum turmas et prestantissimos armorum ductores equestrem distribuit exercitum. Quelibet turma ex centeno virorum armis electorum numero, acri equorum impetu et letifico lancearum aggressu prevalidorum, cum unius gladiatoris ictu et duorum sagittariorum armatorum jaculis, ut prelii necessitas requirit, ad necem utentium, in qualibet lancea, adjunctione constituta, velut unum corpus, unus animus, hostem alacris petit, vel ejus invasioni strenue resistit. He (A) turme bellicose pacis ocio vel guerre induciis, ut, si subita necessitas urgeat, regno paratissima succurrant arma, non dissolvuntur, verum integre sub militari disciplina et bellorum duce per pagos et municipia qualibet distribute (B) omni regni parte gregatim mansuetam et sobriam, absque alterius oppressione, agunt vitam, stipendiis quolibet mense a populis solutis. Mira res! Postquam arma sequentes stipendia a principe constituta perceperunt, qui ad omnem raptum et invisam rei publice direptionem mites (C) effecti ab omni violencia et consueta populi oppressione manus continent innocuas, et conversi in alteros viros cunctam abiciunt rapacitatem, atque inter vulgus cum omni humanitate civiliter conversantur, neminem angariant, neminem depredantur. Tum publica itinera, absque rerum et corporum discrimine, frequentare videres. Tum omne hominum genus, potissime negociatores, crumenas auro refertas, quod paulo ante in secretis nature visceribus predonum metu recondebatur, tutissimum palam deferre, et de una in alteram patriam proficisci letitant. Nedum sub regia ordinatione

Var. : (A) A *Hee*; (B) A B *distributa*; (C) A B *mittes*.

stipendiis e publico (A) nutriti, verum a militari ordine sequestrati, cunctam rapiendi libidinem prorsus obliviscuntur, nec ullus istorum qui deposuerunt arma grassator effectus itineribus insidiatur. Hic colit agrum, ille navigat, quidam mercatur, plures ad pristinum artificium redeunt, omnes juste vivendi studio vacare nituntur. Non humana sed divina hec subita et incredibilis morum emendatorum in virtutis actum existit conversio. Nempe (B) asperrima ferri licencia, summo vindice relaxata, enormi scelerum magnitudine, rapina, flamma et strage ubique populos crudelissimum afflixit; et cum satis punitum est, rigor divine justicie, ut sibi gratum fuerit, armatorum crudelitatem, sui furoris flagellum, retraxit.

50. Aliud novum bellatorum peditum genus rei publice salutiferum et in rusticos Anglie sagittarios necessarium, in quibus Anglie ducum maxima victorie spes est, rex Karolus providissimus erigit. Profecto inter quadraginta plebeos unum virum, membris elegantiorem et jaculorum usu magis instructum, universa totius regni parrochiarum communitas in sagittarium eligit, cui arcum aut balistam et pharetram missilibus refertam, aliamque armaturam sagittario ydoneam, principis jussu comparat. Et quia a publica tributorum functione immunes edicto perpetuo eximuntur, *Francos Sagittarios* vulgus appellat. Hii pacis ocio domi degentes opere rustice, aut artificio instare non cessant; et dum publica regni tuitio pugnatores invitat ad arma, promptissimum, veluti equestres, nunc a rege vocati, et isti pedites jussi ferri gerunt auxilium. Coadunatis enim maxima in copia equitum et peditum aciebus, Karolus rex justissimus, pro hostium expulsione a Normania pugnaturus, cuilibet militanti, ut ordo

Var. : (A) A *et publici;* (B) C *Namque.*

et dignitas expostulat, stipendia quolibet mense absque defectu impendi jubet. Et ne aliquis suorum militantium quemlibet hominem, licet sub Anglorum obediencia commorantem, captivaret, ne pecus aliquod abigeret, ne vulgi alimentis absque precio vesceretur, capitis supplicio transgressori imposito jubens decrevit. Solum hostes ac illos qui pro parte adversa belli actu pugnarent capi, eorumque facultates armorum jure occupantibus acquiri censuit. Tantus armorum discipline rigor in Karoli regis acie, potissime sub comite Dunensi militante, strictius observatur, quod nullus colonus, nullus negociator, nec sacerdos ullus, furti, ambigiatus, concussionis, et sacrilegii criminum militantem accusare posset.

CAPITULUM QUINTUM DECIMUM

Descripcio Normanie situs et morum Normanorum.

51. Res postulare videtur ut Normanie situm et mores incolarum scriptis hic inseram. Et ne videar plus favore patrie illectus quam veritate persuasus natalis originis dignitatem extollere, paucissima egregii auctoris descriptioni adjungam.

52. Normania a priscis patribus Neustria rerum naturalium ubertate condam appellata fuit, et diebus hodiernis a propriis Normanis nomen sortita est, qui navigio vecti de Nourvegia, sub Rolone duce militantes, littus occeani Gallici armis obtinuerunt, qui tandem provinciam totam in circuitu possidentes, eam Normaniam vocarunt. Habet autem occeanum Britanicum ad eurum

et sinum maris ad occidentem, Galliam ad meridiem et occeanum ad aquilonem. Est enim ejus gleba frugum uberrima, pinguis agris, pastura pecorum opima, nemoribus et pratis fecunda, ferarum et volatilium varietate referta, fluminibus et portubus marinis locuples, fructiferis arboribus consita, urbibus insignibus decorata et prevalidis opidis munita; cujus metropolis existit Rothomagum, urbs antiqua populo et diviciis potens, super fluvium sita qui Secana dicitur. Cujus gens est populosa, fortis et bellicosa, urbana in habitu, modesta in affatu, pia in affectu, pacifica in convictu, laboris patiens, opum augendarum industria sagax, circa divinum cultum devota, decimarum solutione fidelis, prelatis obsequens, et in vite extremum supremi principis amantissima. Nemini vult injuriari, sed illatas injurias ulcisci. Hec sub hostium tyrannide gravissime oppressa, ab emulis acerbissima improperia, ab inimicis servitutem invisam, stragem inhumanam, et tricesimo secundo anno vilius (A) objecta inter exteros indignissimum exilium passa est, et per Karoli regis, sui supremi domini, virtutis prestanciam cum summo honore et fame integritate a crudelissimo Anglorum imperio erepta, reductis feliciter ab exilio profugis, hostibus expulsis, antiqua fruitur libertate.

Var. : (A) A B *villius*.

CAPITULUM SEXTUM DECIMUM

Qualiter quidam molendinarius a quodam Anglico cesus, nocte excubans, et ejus socius infra Vernolium Robertum de Flocques (A) *et Pictavie senescalum introduxerunt; ac Galli introducti vi magna castrum ceperunt, in turrem fortissimam Anglos fugantes.*

53. Ecce cujusdam molendinarii in municipio Vernolii oriundi persuasio, naturali instinctu ardens in hostium vindictam, ad prosequendum Normanie expeditionem, militum audaciam Gallorum, modico temporis intervallo sopitam, acrius excitavit. Profecto Vernolium infra Normanie terminos in presidiis Francie constructum, circuitu murorum amplissimum, edificiis tenue repletum, satis forte castrum et munitissimam turrim continet. In fossas diversorum fontium rivuli jocoso murmure labuntur; deinde aqua profluens per muri fenestram, infra Vernolii clausuram stannum arte confectum implet, et extra juxta menia duo construuntur molendina. Ac unus istorum molendinarius de nocte muris excubans, ut frequenter accidit dormitans, ab Anglo pervigili atrocius excruciatur. Aliam fuisse excruciatus occasionem non ab indignis accepi. Profecto zelotipus Anglicus ne cum ganea sua moleret ipsum juvenem molendinarium vehementius suspectum habebat; et quidem, dum se casus obtulit, colore publice custodie exquisito, zelotipus juveni

Var. : (A) B *Floques*.

infensus molendinarium cum scorto sua molentem verbere sevissimo cedit. Ac cesus enim Normanus repositam mente altius defixit injuriam, cujus implacabilis et sevus dolor ad vindictam injurie exquirendam per dies et dies magis ac magis animum indignatum accendebat; et nedum injuriantem, sed omne Anglorum genus sibi invisum oc[c]ultius vehementissimo prosequebatur odio. Secretius animadvertit pulcherrimo facinore suam injuriam fore vindicandam si Vernolium manibus Gallorum tradere valeret, et sue mentis conceptum cuidam alteri molendinario sibi fidissimo detexit. Hic multa secum agitans ad ballivum Ebroicensem, Robertum de Floques, se profecturum conclusit; cui, consilio aperto liberalius obtulit infra Vernolium ipsum Robertum facilius introducturum, si gratum acceptaret. Atque ballivus prudentissimus neque eum repellendum neque admittendum censuit, quam, an quid subdolum et fictum, vel quid fidum aut verum sit, variis conjecturis cognosceret. Et demum molendinarius propositi tenax, super mora nimia graviter conquestus, trina vice Robertum alloquens dixit : « Vel vos, quem pre ceteris malo (A), vel « alter egregius capitaneus, ad publicas meas injurias « ulciscendas in breve michi in auxilium erit. » Deinceps ballivus maxima precis instancia compulsus, petit quid pro tam preclari et periculosi laboris premio, et quale beneficium consequi optaret. Et ipse respondit : « Nul- « lum : sed si promissa fideliter egero, concupita regis « gracia et vestra benivolencia pro precio amplissimo satis « mihi cara est. »

54. Et postquam idem ballivus egregiam molendinarii nulla muneris irretitam cupiditate, sed dum-

Var. : (A) A B *mallo*.

taxat ad licitam hostium vindictam expellendorum voluntatem inflammatam cognovit, cum ipso pactionem votum ardentissimum exsequendi confidentius inivit, certis conditionibus adjectis, potissimum una sanctissima, ne quis incola Francigena in corpore lesionem, vel in rebus detrimentum, introitus occasione consequeretur.

55. Tum ballivus hujus rei (A) oc[c]ultam seriem Dunensi comiti ore tenus reserat, senescaloque Pictavensi mandat propere ad ipsum venturum, ut exsecutioni tam difficili (B) hujus felicis negocii fidum armorum gerat juvamen. Ambo simul juncti, ut ociosi et ab armis penitus remissi viderentur, ingentem venationis apparatum construunt; et in Concharum silva, ut velamen fugandi cervos, absque suspectione, hoste (C) animadvertente, maxima in multitudine Conchis accedere possent, que quatuor leucis a Vernolii municipio distant, illuc ab Ebroicensi urbe conjuges senescali et ballivi, sorores germane, hujus archani penitus ignare, ut venationi ferarum intersint, jocose veniunt, quas letissima puellarum et juvenum turba, frondosi nemoris amenitate gaudens, muliebriter comitatur. Latibulis vero silve trina vice ingressis, delectabilem venationis moliciem cum Dyana venatrice dominabus teneris cedunt, et rigidi Martis ferri asperitatem induunt. Intempestaque nocte ballivus eques et senescalus pedes Vernolio insidias, ut feros hostes, non cervos dulces, venantur, astute tendunt.

56. Tum excruciatus molendinarius atque ejus socius, quem hoc non latet secretum, vindices injurie prope sentientes adesse, locum, tempus, diem, et horam conventos fideli pacto et sollerti cura vigilantius observant, atque decima nona Jullii, ideo quod luce sequenti cele-

Var. : (A) C *hujus rei* omis; (B) A B C *difficilis;* (C) A B *hostes.*

bris Dominice sollemnitas sua molendina fore precepit ociosa, diruptione aquarum facta, e fossis profluentem faciunt elabi; atque sollerter capta loci et temporis opportunitate, supra menia in molendinorum aspectu pariter ambo ejusdem artis socii insompnes, unus excubans, alter per abdita nemorum taciturnasque solitudines et secretiora loca Gallos insidiantes conducit; atque rubescente aurora, ceteri in excubiis pernoctantes, arguti molendinarii persuasionibus devicti, mane ocius quam vigilum consuetudo erat, a propugnaculis murorum descendunt, ut Missam in solis ortu celebrandam audirent. Et cum devotus sacerdos sacrato verbo divinum conficeret misterium, sollers molendinarius circumspectiori ingenio inhumanos conficit hostes. Senescalus Pictavorum pedestrium director late ocreatus in alveum molendinorum lutuosum se, duobus sagittariis antecedentibus, primus infert. Tanto luti pondere onustas retrahere ab alveo ocreas non potuit, quas in ceno (A) dimittens evulsos pedes nudus menia ascendit, ac planta inhermis, sed strenua voluntate armatus, in expellendo hostes egregie militat. Insidiantes vero scalas dirigunt, ac illi directas muro adaptant, nemine partis adverse intelligente. Galli subtus armati, tunicis tallaribus superinduti, Vernolium subintrant per magnum vicum sine strepitu et murmure, gladiis tamen evaginatis, satis submissa voce dicunt : « Nemo villatensis propriam domum exeat. Nil in cor-« pore et rebus a vobis petituri venimus. » Unus tamen incola temerarius non fideliter se bello gessit (B), qui ob resistendi pertinaciam (C) gladio fossus resupinus humi ruit. Fores Vernolii serris fractis aperiuntur; equestres Galli equitatu celeri e latebris affluunt. Anglici centeni et

Var. : (A) A B *sceno;* (B) C *ingessit;* (C) C *pertinacitatem.*

bideni inconsulta clade obruti, quidam ferro supra pavimentum necatur, alter vinculis conjectus astringitur. Plures a Gallorum gladiis erepti precipiti cursu ad castrum fugiunt.

57. Postero die nondum saciatus Anglorum cruore molendinarius ad bellorum duces exclamat : « Nil dignum « victorie egimus, sed solum crudelissimum Anglorum « furorem in nostram perniciem irritavimus, nisi cas- « trum et turris, saltem opidum capiatur. Maximo « impetu principes Anglie istis inclusis furia vecti « auxiliari maturabunt, qui vos introductos, ut alias, « ab ista villa, nullius defensionis absque castro, fero- « citer eicient. » Humanissima corporum et facultatum integra salvatio villatensium animos in fidum regis Karoli amorem et in eternum Anglorum odium vehementius inflammavit. Gallis auxiliaria rapiunt arma burgenses animosi; exosos prorumpunt in hostes, a fossatis castri maximam aquarum munitionem tollunt, et mirum! persuasi Galli alacres ferrum induti sine scalarum auxilio muris irrepentes incredibili virtute pessundant castrum. Inter quos unus acer miles pontem ligneum erectum armatus transcendit, et lapsus in area castri viriliter dimicat in hostes. Et e converso, invasi Anglici manu valida furentem Gallorum insultum retrudunt, molares ab alto ingentes humi (A) evolvunt, saxa ruentia nonnullos Gallos humi consternunt. Ab utraque parte preclarissimum agitur prelium. Demum infatigatum Gallorum aggressum ferre non valentes, devicti Anglici fortissimam turrem occupant. Hec turris ampla, sublimis, miro artificio constructa [est], adeo cemento (B) et calce compacta quod nullo tormentorum fulmine dissolvi, vel insultu aut alia arte, nisi langore famis anxio, capi posset.

Var. : (A) C omis; (B) A *scemento*, B *semento*.

LIBER SECUNDUS

DE APERTO BELLO

CAPITULUM PRIMUM

Qualiter comes Dunensis, castro insultu subacto, succursurus Vernolio accessit, et mox turrem obsedit; et qualiter comperto Vernolii villa a Gallis capta, heros (A) *de Talbot maximo exercitu ex presidiis collecto, Anglicis opitulaturus in pago Breteliaco bina luce consedit, et deinceps, nulla ostensione ante Vernolium tentata, recedens, suas acies* (B) *versus Haricuriam ductat. Exinde idem locumtenens ceterique bellorum duces eumdem Talbot, ut cum eodem conflictum agant, ingenti celeritate prosecuntur. Hoc cognito, non expectata Gallorum incursione, clam ad Haricuriam et dehinc Rothomagum fugit.*

58. Castro insultu subacto, comes Dunensis in armis prudentissimus, generalis Francorum regis guerre locumtenens, postera luce ingenti armorum exercitu Gallis Vernolii introductis succursurus, appulit; nec mora diurna sollertem et consultum bellorum principem in voluptatis ocio detinet. Extimplo, cabalis adhuc sudore

Var. : (A) A *herox;* (B) A *accies.*

sparsis, cohortes equestrium et peditum, ordine circumspectius disposito locate, undique fortissimam turrim obsident. Comperto enim villam Vernolii esse a Gallis subactam, heros de Talbot apud Bellum-Montem-Rogerii armis asperrimus, cujus mediocris sevicia animi probitatem excedit, velut lena fetu rapto furiosius insanit. Ab omni presidiorum et ducatus parte copias ingentes armatorum congerit, opido et arci Vernolii opem celerem laturus. Ceterum, cum ad Vallem-Ruolii suum exercitum ductasset, per quamdam mulierem campestrem sibi relatum est castrum violento Gallorum insultu esse pessundatum, et inibi comitem Dunensem cum maxima bellatorum multitudine accessisse; quod tam amaro et iniquo animo recepit, ut ira ebuliens veri nunciam et fraudis expertem, veluti malificam et perfidam, extimplo concremari fecisset, si non quidam Anglus superveniens, uti testata fuerat, opidi captionem affirmasset. O furor, in suorum et proprium caput exicium reflexurus! qua insania muliercule simplici, que adversum tuorum casum detexit, tam turbulenta ira succenses! Nichil enim commodius cauto bellorum duci scrutari expedit quam hostium dispositionem et suorum casus, et plus infaustos quam secundos exploratos haberi; ut, ne suo impetu actus in hostium laberintum corruat, quo irretitus vix aut nunquam valet incolumis explicari, et si casus patiatur ut juvari periclitantibus possit, commilitonibus celeriter et repente succursum eatur; sin autem, ab infortunio se salvum et intactum eximat.

59. Deinceps a Valle-Ruolii in pagum Breteliacum ultima Jullii idem dux Anglus suas acies transduxit, ubi, nulla ante Vernolium in Gallos aggressione tentata, luce bina consedit. Ab expertis quidem et peritis bellorum ductoribus persuasum habuit, si cum Gallis campestre

bellum tanti anceps (A) belli fortuna sibi adversari contingeret, universa villarum et Normanie agrorum communitas, hostile ferrum raptans, Anglicos trucidare et expellere conaretur; ac ex uno conflictu adverso totius ducatus irrecuperabilis perditio rueret. Propterea securitati patrie expedientius erat in defensione urbium et castrorum prevalidas munitiones intromittere et succursum Anglie quem sperabant venturum operiri, quam in hostes dubium pugne certamen temerarie aggredi. Et quamquam heros de Talbot, ut aper infensus spuma fluente, Gallos intersecare frenderet, attamen impensius a Normanis diffidens, a suis consultus patrandi prelii proposito decessivit; atque suas acies quam arctissime ire cogens, ut ab improviso Gallorum concursu incolumes servaret, versus patentem Novi-Burgi planiciem incedit. Tum assertus Anglorum recessus Gallorum Vernolii adunatorum in iram animos vehementius incessit. Secentis armorum viris pro Vernolii custodia et turris obsidione dispositis, quorum militare gubernaculi onus Florentus de Yliaco, miles armis expertus, assumpsit, comes enim Dunensis, nedum bello strenuus, verum in omni politico actu, consilio et morum honestate precipuus, ceterique bellorum principes animo et manu prestantissimi, ut in Anglicos campestre bellum agant Vernolium egressi, heroem de Talbot assequntur in loco satis munito inter Bellum-Montem et Haricuriam; a quo cum signa Gallorum in aere ventis agitata ostenderent, Anglicus belli dux se et acies in alium non longe a Haricuria, a tergo munimine silve et ab utroque latere pomorum variarumque arborum sepe vallatum, transduxit, et in modum fossarum a fronte terram egerit, sudi-

Var. : (A) A *auceps*.

busque acutis redisque, quarum vectura tractum commeatum ferramenta maxima in copia gerebat, suum exercitum circumvallat; et tam valide quod pars adversa vix aut nunquam circumdatos superinvadere posset. Pedites turmas rectius exorditur arcus lentos et mortiferas sagittas suis rusticis partiri, et ad viriliter resistendum suos commilitones magnopere hortari videres.

60. Et ex adverso providus comes Dunensis summa cum rei militaris pericia ad certamen patrandum Gallicas cohortes preparat; ad quod securius ineundum summi bellorum Imperatoris et justi belli fiducia, necnon honoris premio, Gallorum militum virtutem inflammat. Prime cohortis sagittariorum peditum Robertum de Floques, ballivum Ebroicum, ductorem preposuit, qui armatus incredibili cum corporis agilitate ante hostium turmas equitans voce terrifica et aspero verbere compositum ordinem tenere et non transgredi pedites cogit. Tanta sibi inest alacritas quod ad jussa impigre exsequendum quam propellendum (A) vultu interrito sese paratiorem ostendit; et nedum in periculis immota consulti et virtuosi bellorum ducis constancia militibus sibi creditis audaciam, sed hostibus terrorem infundit. Ut Galli bellorum duces in loco hastis inexpugnabili hostes circumseptos, publicum conflictum refutantes, accipiunt, et quod nox superinducta ipsis dimicandi facultatem distrahebat (B), ac lassitudo diurni equitatus ab aurora in hostium prosecutione absque cibo sumpto jejunos recreari urgebat, in duas villas campestres bina leuca ab hostibus remotas suum exercitum fame et longo itinere fatigatum divertunt.

61. Et cum postero die ambos exercitus in campestrem

Var. : (A) A B C *propallandum*; (B) B *detrahebat*.

pugnam concursuros arbitraretur, heros de Talbot, nocte, recessu inopinato in castrum Haricurie properans sese contulit et in ejus pago recollecte (A) acies Anglice pernoctant. Luce sequente, sub aurore ortu, refectione non accepta, uno equitatu properantes Anglice acies Rothomagum convolant. Et hoc cognito, spe confligendi cum hoste frustrate Gallice turme Ebroicas, ad Locumveris et Pontis-Archam tendunt, ac itinerando acie soluta, Galli Logentipratum (B), quoddam fortalicium nomine herois de Talbot detentum, quinque leucis a Rothomago constructum, vi armorum capiunt.

CAPITULUM SECUNDUM

Invectiva, recessum herois de Talbot nimis acceleratum (C), *conflictu Gallorum oblato et per ipsum non accepto, increpans.*

62. O princeps bellorum Anglus, tua animositate plus quam animi fortitudine formidolosus, qua mente vel pavida aut consulta certamen publicum cum Gallis instantibus recessu nimis accelerato declinasti ? Vere non est michi compertum. Sed certum scio, te non ut rei militaris peritum et firmissimum adversus periculum tuas acies rexisse. Profecto ab universis presidiis maximum collectum et bellatoribus electis constructum exercitum in campum publicum, ut videbatur, in hostem ruiturum, et congressu hostium te insequentium non expectato, in

Var. : (A) A B *recollete;* (B) B *Longentipratum;* (C) A *acceleratum.*

castrorum abditis tuas acies recondere satis pensi non habuisti. Verum aut omnibus rebus usui belli necessariis affatim presidia munire et vigilantius castra per te occupata custodire, vel educto a presidiis in campum exercitu, acerrime hostilem aciem aggredi, vel impavide eorum congressum operiri invasionis exordio, impendens patrie subacte conservatio te constitutum defensorem urgebat. Tuus exercitus quam maxime instructus, prior a castris in campum egressus, te magnanimum velle cum hoste acrius dimicare ostendit; atque subitus et cohortum in castra recessus, conflictu ab hoste oblato et non accepto, te animo fractum, pusillanimem, pavidum et victoria desperatum manifestat. Hinc mentita ac ficta animi virtute tuis commilitonibus, prius animis erectis in Gallos virilius dimicandi, decidit animositas; et ubicumque adversus hostes ab Anglicis, sive in campo sive in castris, certare nititur, assiduo infortunio male pugnatum est, atque tuis hostibus certissima ac uberrima vincendi crescit fiducia. Hinc quecumque opida per te occupata Gallorum acies in maxima victorie spe adducte invadunt, incredibili fortitudine acerrime impugnant, nec est tam prevalida munitio, quamquam impensius (A) defensa, que Gallorum impetum valeat propulsare. Etenim recessu insperato fuga presumpta, Normanus populus, jamque affectu cordis inflammato tibi, adversus te pavefactum et tremebundum arbitrari letitant. Hinc metu posthabito, maxima cum audacia in tuam exosam ditionem rapiunt arma, gravissimas oppressiones acerbe vindicaturi, et se corpore et animo cum Gallis jungunt, quos bello prestantiores vident, ideo quod tuum exercitum ad conflictum publicum provocare non dubitant, quem mire trepidus et tuis rebus diffidens formidas.

Var. : (A) C *propensius.*

63. Et si censebas hostes bello potentiores, aut fortunam belli tibi adversari, ideo certamen publicum te evitare et tuorum salus urgebat, itaque te firmum et impavidum adversus belli sortem ostendere decuit, ut pedetentim et caute recedendo, non fugere, sed mutato bello aperto, latentes insidias omni ingenio, omni astucia parare, et contra hostes acrius dimicare interrita tua voluntas ardebat, et mox exactissima cura hostium secretum et eorum itinera explorare modo in campis dispersos, aut gravi armorum labore fatigatos, sompno et cibo artus reficientes, improviso aggressu invadere, et invasos maxima vi fundere, cedere et fugare; nunc ad fluviorum et pontium transitus, modo ad montium precipitia, nunc ad districtus paludum, modo ad nemorum angustias et viarum anffractus (A) ex abditis repente hostibus occurrere, maximo congressu hostium ordines turbare, frangere, et disjunctos acri impetu opprimere; nichil intactum, nichil inquietum relinquere, tui ex officio sollertis et probi bellorum ducis intererat; ac omni virtute in fortunam belli quamquam adversam eniti, et non pusillanimiter absque virili resistencia infortunio succumbere. Et ubi aperto bello facile vinceretur, providus et in adversam fortunam firmus numero et viribus inferior, per insidias egregiam victoriam sepe reportat.

64. O Talbot! ductor bellorum, nuperrime cunctis formidolosus, ut canis rabidus acriter hostes ceterosque tibi suspectos invadens, inclementer cruorem fundebas; ubi illam cruentam animositatem, ubi illam funestam consuetudinem amisisti? Opinor justus Deus, demeritis urgentibus, invictissimum tuum furorem in nos, legis Dei transgressores, relaxare permisit, ut asperrimo tui furoris

Var. : (A) A *anffratus.*

flagello afflictos nos ab errato revocaret; et tu furibundus non ad exsequendum divinum misterium, sed libidinem animi explendam, perditissimis satellitibus abusus, Gallorum sanguine saturari affectasti; et dum divina bonitas insaciabilem tuam crudelitatem et suum populum inhumana clade direptum vidit, intolerabili afflictioni condolens sanguinolentum tuum furorem retraxit; et qui tyrannorum spiritum auffert pusillanimitatis tempestate tuam animositatem absorbuit. Profecto cum diebus hodiernis ad publicum conflictum te petant hostes, exanimatus potius hostiles congressus fugiens, nulla invasione super aggressores reflexa, murorum clausura cum dedecore te salvum fieri queris, quam manu aperto bello, vel insidioso, invasoribus strenue obviam eas, et tamdem ab omni castrorum clausura turpiter de castro in castrum fugatus, ad Angliam ingloriosus habes profugium. Si invasor aperte, vel dolis, hostibus virilius resistisses, mutua essent prelia; varia ab utraque Gallorum et Anglorum parte victoria varia materia scriptoribus stili et laudis et lectoribus voluptatis varietatem attulisset. Dumtaxat una conflictuum evasio, ubique deditione inita, te muris clausum a bellorum fortunis exemit. Propterea in tuorum varias preliorum laudes rem gestam dilatare non possum. Hinc si de te bellorum preconia, que michi desunt, non extollam, malivolus et tui honoris invidus censeri non mereor.

CAPITULUM TERTIUM

Qualiter rex Karolus ab urbe Turonensi, maximis exercitu et rebus belli usui comparatis, suis principibus in Normania bellum gerentibus opem laturus, recessit. Qualiter dux de Sombresset, volens Karolo regi obviam ire, capitaneos Anglie Rothomago convocavit, Pontulimaris fortalicium evertere deliberans, cui Fulco Ethon resistit, et idem fortalicium comes Dunensis quamprimum subjugandum conclusit.

65. Rex Karolus providissimus strenuorum bellantium peditum et equitum turmas, proceres atque principes accersit; arma, jacula, tormenta, ceteraque impedimenta, que in bello militum usui sunt necessaria, inviso a retro bellantibus apparatu, secum ferre jubet. A Turonensi urbe, sexta Augusti, ut in Normaniam suas electas acies transducat, Vernolii turrem obsidentibus auxilium quamprimum daturus, Ambasiam proficiscitur.

66. Interea dux de Sombresset, aperto Karoli regis bello nitens obviam ire et in Gallorum aggressum munire fortalicia, castrorum custodes et tributorum questores, magnumque thesaurarium Rothomagum evocat, ut tutele villarum et urbium, necnon stipendiis militantibus impendendis provisum eat. Et inter cetera, Pontulimaris fortalicium, non firma menium compage, sed fixura pallorum circumvallatum, funditus demoliri censet, ne a Gallis forsan captum quamplurima incommoda patrie securitati afferat. Sed Foquetus Ethon, ejus capitaneus, provido consilio resistens, adversus omnem Gallo-

rum impetum se fortalicium defensurum uti temerarius superbe jactat; et dum obsidione fera circumdatus fuerit, si auxiliaria non succurrant arma, tunc, necocius (A), ante ab obsidentibus stipulari deditionem temporis articulus ipsum urgebit, quam ad votum non dubitat a Gallis consecuturum. Hec enim munitio, Rila amne rapido et satis alto circumfuso, et fossis amplis tutissima, a peditum insultu non expugnabilis defendi, nequaquam everti debet; et quamquam saxea menia non circumstant, attamen jugis aqua rigide circumlabens et sudes altius fixe pro muro valido hanc invictam tuentur. Et ex adverso comes Dunensis, dux bellorum circumspectus, Pontulimaris fortalicium quamprimum invadi et subigi fore Normanie reductioni perutile expertos guerre capitaneos consultat. Profecto, cum hec munitio, fere (B) medio Normanie constructa, capta fuerit, ibidem Galli strenue militantes ab inferiori Normanie armorum subsidium, tributorum delationem et commeatum ad urbem Rothomagum aliasque villas superiores transmeandos impedient, et universam Algei patriam pessumdabunt. Et ut comes Dunensis, sollertissimus Gallorum exercituum ductor, proceres et inclitos bellorum principes consuluerit, octava Augusti ab Ebroica urbe duo egregiorum pugnatorum millia et quingentos eduxit, atque de partibus Caleti et Picardie, de Augo Normanus et Sancti-Pauli Picardus comites, secum quamplurimi proceres, tricentorum virorum spectate probitatis lanceas milleque et quingentos sagittarios, jaculorum ictu doctissimos, per Pontis-Archam meantes in Normaniam ductant.

Var. : (A) A *octius;* (B) A B *fore.*

CAPITULUM QUARTUM

Qualiter senescallus Pictavorum et ballivus Ebroicus a Pontis-Archa recedunt ut fortalicium Pontulimaris subjugatum irent, et ab opidanis repulsi sunt; et qualiter comites (A) *Dunensis, de Ango et Sancti-Pauli simul juncti vi idem fortalicium Pontulimaris oppugnaverunt.*

67. Ac decima Augusti Pictavorum senescalus Ebroicarumque ballivus ac quamplurimi bellorum docti ut Pontulimaris fortalicium, nocte sequente, certis fautoribus illos introducentibus, captum irent, a Pontis-Archa recedunt. Primo enim ingressu senescalus Pictavorum cum paucis sue cohortis in Rile alveum ebulienti spiritus ardore et magna vi dilabitur. Nam alii commilitones, ipso inconsulte deserto, ad predam suburbio rapiendam et quosdam Anglos in porta qua tenditur Rothomagum, extra hospites vinciendos, a signo divertunt. Ac idem senescalus, profundum Rile transgrediens, clausuram pallorum acriter irrumpit; quibusdam prevalida manu evulsis, ad villam subito patefacit aditum. Tum hostes undique ruentes ad impetum propellendum ocius (B) affluunt, quos strenui milites prestancia, si (C) integra suorum turma, ad spolium non effusa, secum pugnasset, cum maximo triumphi splendore superasse, et villam petitam conflictus exordio cepisse putantur; sed quia suorum avaricia male derelictum, vix periculum

Var.: (A) A *comitum;* (B) A *octius;* (C) A B *sic.*

gravissimum evadentem retrogradi ab hostibus viriliter oppressum oportuit.

68. Tua arctissima discipline severitas, Manli (A) Torquate, nunc exurgat, qua filium apprime dilectum gladio feriri jussisti, idcirco quod ab hoste provocatus, duce inconsulto, juvenili impetu dimicandi audaciam sumpserit, quamquam preciosa spolia et splendidam victoriam reportasset. Nonne illos accerimo supplicio afficies qui turpissimum lucrum honori, quo nichil prestantius, et fidei publice, qua nil strictius servandum, prelatum habent, atque sui ducis salutem et universum exercitum produnt? Nunquam talibus parcendum; verum acerbissimum excruciandos censes, qui, derelicto ductoris signo, non ad hostem expugnandum, sed ordine prepostero, ad predam amplectendam, ruunt. Ubicumque enim prelium agitur, exercitu in unum (B) recollecto, signum sequenti primum hostem aggredi, et demum, ipso triumphato, captivos vinclis trudere et spolia aufferre decet; et non ante. Profecto nichil magis ad victoriam obtinendam confert quam jussibus ducis promptius obsecundare, et militaria insequi signa. Itaque, nec aliter, nichil magis ordinatas confundit acies quam miles indevotus a signo in lucri captionem declinans, ubi alias hostis facile superaretur, hec prede avida militantium insolencia, non robur corporum, non vigor animorum hunc facit victorem. Hanc ob rem strenui antiqui bellatores, dum gloriosis triumphis imperium Romanorum per universum orbem celebratum decoraverunt, nec amicorum gracia, nec inimicorum odio, nec paterna pietate flexi, tenacissimum discipline nervum ruperunt. Et quamdiu incorruptus legum armorum

Var. : (A) A B *Mauli;* (B) A C *uno.*

rigor inter ipsos viguit, tamdiu ipsorum decus imperii stabile felicitatis victoriarum incrementis perseveravit; et fracto rigoris vinculo, speciosissimus bellorum triumphus corruit, excelsus milicie totius honor et preclarissimum glorie lumen. Propterea ubi pro salute publica certatur, nulli transgressori discipline indulgendum est. Nam convenientius [in] turbationis preliorum temerarios auctores severissime vindicatur, ut paucos supplicium et omnes pene formido terreat, quam ut neglecta delinquentium impunitio universum militum agmen eat perditum. Rectius est igitur insolenti milite carere, quam disciplina exercitus careat. Nec incommode. Si enim bellorum princeps disciplina sit severus, acrem et obsequentem, si remissus, ignavam et insolentem conflat militiam. Prima animosa rem publicam conservat et feliciter triumphat hostem; secunda inhers agros vastat, villas depredatur, et tandem (A) ipsa miserrima est preda hostium.

69. Nec istud fortalicium tunc ingenti armatorum copia, a cohortibus illo transmissis armis imparibus, nisi sorte belli favente, poterat subjugari. Nam Mandefordus, magnus Nordmanie thesaurarius, et Fulco Ethon, de Calidorostro capitaneus, pro militum solutione Rothomagum pecunias exactas laturi, de quadringentis ad quingentos viris preliorum exercitatissimis, sero die illo appulerunt, quod nostros latebat. Ideo fracta sue intentionis exsecutione, constructa obsidione, hoc fortalicium infestare preparavit (B). Propterea ad comites Dunensem, de Ango et Sancti-Pauli, ut ad hanc rem conficiendam propere accedant, litteras transmittunt. Et litteris acceptis, ambe Gallorum acies, absque recti tramitis divorcio sensim equitantes, ante Pontulimaris

Var. : (A) A *tamdam*; (B) C *properavit*.

villam in uno exercitu duodecima Augusti junguntur. Et mature consulto, ex una parte versus Cadomum strenuissimi comites de Augo et Sancti-Pauli, Caletensium et Picardorum ardentissimi animi ductores, castra ponunt, et comes Dunensis ceterique exercitatissimi bellatores versus Rothomagum latus comprimunt.

70. Ecce quidam adolescens ex comitis Sancti-Pauli familia, sive ludere, ut insolencia juvenes agit, seu more ingenii humani difficilia faciendi avidus, quid Grecus ignis potest experiri vellet, fusum sulphure ignitum, ducibus bellorum inconsultis, ad quamdam domum Pontulimaris, stipula et stramine coopertam, maximo impetu traxit. Iterum, alium et alium transjecit. Acriori incendio edes accense concremantur. Ingens clamor ac ubique subitus pavor exoritur. « Ad arma ! ad ignem ! » simul conclamant, et villa igne sulphureo ardet. Incendio villa ferro letali impetitur. Perterriti conturbantur hostes. Incole ad incendium propere ruunt. Inimici vero, quidam ad pallos defendendos, alteri perplexi ad ignem iter precipitant. Concrematio edium Picardorum animos incendit ; strepitu (A) hostium excitantur ad arma, inconsulti cursu precipiti in fossam aqua cumulatam sese proiciunt. Clamor insultus et clangor tubarum in aere sublati in arrectas Dunensis comitis ceterorumque procerum aures deferunt Caletenses et Picardos invadere hostes. Et mox omni periculo nauffragii posthabito, duces armati et stipendiarii in amnem rapidum prosiliunt ; unus renibus, alter scapulis, alius mento tenus transvadendo Rile fluminis alveum immergitur. Nec unum aqua violentior absorbuerit, si mea sententia me non fallat. Summus aquarum conditor per fluvii Rile profun-

Var. : (A) A *strepitus*.

dum, ut supra undarum campum currere potest, Gallicas acies transvexit. Ab unde alveo exeuntes aggerem, ad instar dorsi asini constructum, irrepentes scandunt. Exinde quidam fortissimi aggressores clausuram pallorum solidam protinus evertunt; alii enim vallum lancee altitudine unius erectum hastarum presidio fulti transcendunt, et intus fortalicium saltu dilabuntur, ubi armorum patentem soli planiciem adipiscuntur. Adversus invasores virilius Anglici pugnant, et ut vires ferre suppetunt Gallorum impetui obsistunt. Ceterum, postremo alacri invasorum strenuitate circumfusi, thesaurarius et quingenti Anglici in extremis ville ad quamdam fortem domum diffugiunt. Galli, acerrimi victorie prosecutores, domum circumstant; et, ut paratissimo impetu in ipsam prorumpere vellent, Anglici, in (A) ede conserti, ut oves in stabulo conculcate, instante Lichaone, humanissimo bellorum principi, comiti Dunensi, sese captivos dedunt; quos, ne a Gallorum furore trucidarentur, humanitus preservavit. Deinceps Anglici captivi per optimum belli ducem distributi, et bona villatensium mobilia cuilibet militanti juxta virtutis prestantiam, in predam ceduntur, et corpora incolarum a captivitate necnon eorum immobilia a proscriptione recta regis locumtenentis sentencia exemit.

Var. : (A) B *extremis... in* passage omis.

CAPITULUM QUINTUM

Qualiter, fortalicio Pontulimaris subacto, urbs Lexoviarum et fere tota diôcesis per eosdem principes, comitem Dunensem, de Ango et Sancti-Pauli, episcopo ejusdem urbis favente, sub regis obediencia redacta fuit.

71. Sollertissimus bellorum ductor, ubi felix guerre expeditio prospere succedit, ad alia opida festinans pergit, et quamplurima, hostibus parum resistentibus, longa non expectata mora cepit. Ecce Gallorum acies militari ordine decenti constructe Lexovias proficiscuntur ut ipsam urbem repentino (A) insultu subjugent, aut obsidione dura vires atterant; quam marcia juventus non per valvas apertas sed muros vi superatos intrare captabat, ut omnia prede cupite cedant. Hoc enim comperto, ingenti metu perculsi (B) formidant hostes; potius ad miseram necem quam ad dirum conflictum parantur; cives quidem rerum, liberorum, uxorum, corporum perditionem fore propinquam non mediocriter verentur.

72. Tum episcopus, inter pericula vir consultus, ardens urbis sue impendenti calamitati studiosius obviare, et fidelitatis integritatem quam ad regiam majestatem gerebat ostendere, inimicos elegans orator alloquitur :

73. « Viri egregii, regis vestri Henrici probitas hanc « urbem vestre ditioni subegit ; atque cives devicti « vobis fidem sacramento, et rex vester vosque ipsis

Var. : (A) A B *repento;* (B) B *percussi.*

« adversus invasores virilius tueri promisistis. Nun-
« quam fidem juratam vobis civis unus perniciosius
« infregit, nec quidquam sinistri et subdoli in vestri
« securitatem molitus est, ceterum vestram dignitatem,
« uti supremam sui domini majestatem, fideli obsequio
« et summa reverencia hec urbs subacta semper coluit.
« Et si vires vestre moderne ipsam invasam ab hostium
« direptione preservare non valeant, nec hec urbs ob-
« noxia fidem pactam in sui subversionem continuare
« vobis astringitur, verum aliunde suarum fortunarum,
« liberorum, uxorum et propriam corporis salutem na-
« turali jure vigilantius sibi procurare tenentur. Ecce
« innumeri hostes in valvis assunt, qui vos Anglicos et
« nos cives parato insultu obruere seviunt. Et nunc
« extrema necessitas vestram virtutem tutari hanc urbem
« cogit, vel sese integram reddere Gallis oportebit. Et si
« quingenti bellicosi viri armis electi apud Pontulum-
« maris Gallorum insultu obruti fuerint, pensate quo
« vigore, quibus armis, vos pauci tante multitudini,
« tanto furori adversari, et eorum impetum cohibere
« poteritis. Vos primo aggressu obruti uti pecudes truci-
« dabimini, vel tetris carceribus prolapsi trudemini,
« quos anxia fame et vermibus corrosos misere expirare
« aut in lacum demergi continget. Quid auxilii isti cala-
« mitosi et cives inhermes et nos viri ecclesiastici im-
« belles, vobis feremus ? Nos jam horrenda mortis
« ymagine confecti nullam geremus opem. Ceterum
« communis omnium nostrum inhermium fuga, salus
« una, ad sacrum decurret templum, vel nos jam hos-
« tium telis et facibus constrati occisori prona colla
« submittemus, aut complosas manus victor improbus
« captivas strictius alligabit. Universas facultates inva-
« sores funditus rapient, vel acerbissimus ignis Grecus

« ab extra transmissus nostra et vestra conflagrabit « universa, et forsitan cives liberos, uxores concre- « mabit. Et si nos ecclesiasticos et incolas vita non « spolient, attamen cunctis fortunis absortis, officiis, « proventibus et dignitatibus privabunt. Et si cle- « mencia principis salva supersint corpora, verumptamen « nuda uti materno ventre nascentia remanebunt. Et « satius nobis esset miserrimis nos simul omnes mori, « quam ad tam calamitosam inopiam belli infortunio « devenire. »

74. « Idcirco, viri egregii, vestram humanitatem devo- « tissimus obtestor et instantissime requiro, ut dum « adhuc res opportuna sinit, nostre et vestre in maximo « periculo versate consulamus saluti. »

75. Hiis et aliis Anglici persuasionibus inducti, quamquam egre, assentiunt ut prelatus vir optimus et cives super urbis deditione cum illustri comite regis locumtenenti compositionem ineant, quam ad civium et rei publice utilitatem et cupitam (A) hostium expulsionem admodum conficiunt, uti hostes, rebus et corporibus salvis, abcederent. Cleri et cives, personatuum, dignitatum, officiorum et rerum quieta possessione conservati, elargita principis gracia potiuntur. Urbe reductā ad regis obedienciam, sexdecim circumfinitima castra et fere universa dyocesis et Algei patria reducti letitant. Tum barbaris exactis, veteres domini profugi ad lares paternos et rerum proprietatem jocundissimi redeunt. Tum populus gravi belli onere non oppressus et commeatu pugnatorum leviori exactus, regem Karolum summo amore complecti et ad celum plus quam mortalem et suos bellorum principes extollere cepit; milites ceterosque

Var. : (A) B *concupitam*.

guerre bellum agentes vultu hylari domi tutoque hospicio recipere, liberaliorique manu solvere volenti, precio recusato, alimenta gratis erogare, Lexoviarum cives gaudent; moreque castrorum humanissima reductio partibus ab obsidiis armorum subsidium muneraque feralia ferendi Rothomagum facultatem barbaris detraxit, eorumque non modicum potenciam abstraxit.

CAPITULUM SEXTUM

Qualiter per heroem de Aurivalle insultu villa Gaciaci capta et dedicione turris subacta fuit.

76. Tanta in Gallorum exercitu viget animositas quod omnes militum cohortes certatim nituntur armorum probitate una superare aliam. Ecce heros de Aurivalle, natalibus illustris, sed animi prestancia clarior, seorsum aliquod facinus laude dignum agere concupiscit. Ideo solus et a publico exercitu sepositus, cum sua (A) cohorte vehementi cum impetu villam Gaciaci, satis arte, natura et Anglis munitam, aggreditur. Invasi opidani robustum Gallorum insultum studiosius extrudere conantur. Sed quo Galli audacius sese repelli sentiunt, eo alacriores honoris gloria pugne instant; et tandem indefessi, continuo aggressu municipium, et deditione turrem ab hostibus devictis eripiunt.

Var. : (A) B *una*.

CAPITULUM SEPTIMUM

Qualiter heros (A) *de Loheac, Gaufridus de Couvren, miles, Joachim Rouault, et heros* (B) *de Bricquebecco, pro capcione opidi Sancti-Jacobi-de-Brevon, et opidani pro ejus defensione, a solis ortu in occasum atrocissimum conflictum mutuis plagis sese sauciantes, egerunt, Et postero die secundo insultu non expectato, i*[i]*dem opidani Gallis dedicione* (c) *facta castrum tradiderunt.*

77. Cum hec feliciter aguntur, heros de Loheac, illustris comitis de Lavalle germanus, Gauffridus de Couvren, miles strenuus, et Joachim Rouaudi, manu valens scutifer, armatorum Francie trium cohortum ductores, et heros de Briquebeco, magnanimus generosi domini d'Estoutevilla secundus natus, Sancti-Michaelis fortalicii armatorum dux, et egregius Britanie marescalus, vi maxima furioso impetu opidum Sancti-Jacobi-de-Brevando, contra treugarum fidem per Anglos nuper refulcitum, invadunt. Ac ex adverso barbari, armis exercitatissimi, invasi, manu prevalida et forti animo ingressores acerbissimos retrudunt. Hinc inde una pars indefessa aliam sagittis grandine pluribus, lancearum cuspide, gesis, tormentorum verberibus, mutuis plagis, letaliter ad invicem infestat; et a nona hora matutinali jugiter in solis occasum atrocissimum et cruentum inter ipsos certamen committitur.

78. Et cum postera die, in majoris animi vehemenciam

Var. : (A) et (B) A *herox*; (c) A *dedicione*.

respirantes, Galli invictissimi continuato insultu opidanos superare vel mortem pati proposuissent, Anglici, gravissimis sauciati plagis et hesterni conflictus lassitudine nimium cassati, repetitum Gallorum insultum excipere non audent; verum certamen mox iterandum, deditione fortalicii habita, dirimunt, uti, castro Gallis cesso, queque sua castrensia recessuri afferunt.

CAPITULUM OCTAVUM

De forti et egregia Gallorum insultus per quatuordecim Anglos a turre et fortalicio de Mortegniaco repulsione, et postea de ejusdem turris compositione.

79. Cum dux de Sombresset, prosperis bellorum casibus elatus, non sibi verum hosti, ut bona fortune de uno in alterum assiduo pulsu in invicem (A) volvuntur, ornatam turrim de Mortegniaco et magnificam in precisa rupe sumptuosius erexisset, et validis pallis foveisque castrum circumdedisset, ac fabri diurno operi instantes muros calcis et sabuli mixtione compactos solidarent, ecce heros de Loheac, unus Francie marescalorum, gemella proles generosi domini d'Estouteville, marescalus Britanie, Gauffridus de Couvren et Joachim Rouault, cum fortalicium Sancti-Jacobi-de-Brevando copiosam suorum commilitonum multitudinem vix continere posset, cum ingenti vi armorum hanc turrim acerrime impugnant, ut, subacto fortalicio, suorum partem armatorum in presidiis collocent. Ac opidani Anglici, dum-

Var. : (A) A C *inimicum* au lieu de *in invicem.*

taxat quatuordecim strenui bellatores, cum latomorum suffragio, magna animi virtute et robusto corporis vigore, furiosum Gallorum insultum ter repetitum expellunt; ac fere Galli fatigati, castro inexpugnato abcedere mente habuerunt; sed pudor hos a paucis vinci reprehendit. Ac Galli cum parva manu durissimam multorum invasionem viriliter excipere Anglorum probitatem mirantur, et ob singularem ipsorum virtutem deditionem, quam Anglici petunt, libenti animo consequntur. Ab opido cesso abeuntes, queque sua mobilia, arma, equos et bellorum impedimenta secum, ut libet, vehunt.

80. Interea Johannes Curti, de Mortegniaco capitaneus, erga Franciscum ducem Britanie pro Fulgeris compositione ambaciator, de celeberrima loci amenitate, de inexpugnabili castri munitione, curialibus speciosa quamplurima et egregia referens, copiosos sermones facit. Ac capitaneus Dentreing inquit : « Tu singularem castri « formositatem, tu prevalidam ejus constructionem mira « laude attentius extollis. Pono centum auri scuta, ut com- « missa tibi acquirantur, si reversurus (A) tuum opidum, « hoste non intruso, liberius intres. » Ac Anglicus cerebrosus : « Ego totidem aureos ut tibi acquisiti fiant, si « remeantem meo castro ad libitum potiri me non con- « tingat. » Anglicus vero temerarius jactator aurum et castrum non absque dolore anxio perdit.

Var. : (A) C *reversus*.

CAPITULUM NONUM

Qualiter rex Karolus, vicesima secunda Augusti, Carnotum intrat ; et qualiter die sequente Anglici in turre Vernolii obsessi ad purum arbitrium regis Karoli se captivos dederunt.

81. Vicesima secunda Augusti Karolus rex clementissimus, preclaro principum, baronum et nobilium splendore illustratus, urbem Carnotum intrat.

82. Postera luce turre Vernolii munitissima obsessi, quos anxia fames exinaniverat, ad liberum humanissimi regis arbitrium sese captivos mancipant. Nec Anglorum numerus mancipiorum triginta excedit. Profecto ob culpam latam, seu verius, ut fertur, pecunia corruptorum vigilum facinus, nonnulli famosissimi itinerum grassatores, quos rex justus propter scelerum immanitatem plectere severius intendebat, noctu funibus demissi maxima cum auri quantitate ad Anglicos evaserant. Incuriam hanc ignavissimam (A), seu turpissimum crimen, rex Karolus indigne gessit, cum antea per armorum nuncium ad turre inclusorum custodiam exactissimas adhiberi vigilum excubias jusserat. Rem ob istam Florentus de Yliaco, obsidentium director, non modice a viris expertis inculpatus fuit.

Var. : (A) A *severissimam* barré ; en marge *ignavissimam*.

CAPITULUM DECIMUM

Qualiter rex Karolus ob induratam (A) *burgensium infidelitatem villam Medonte ad aratrum demolitam redigere proposuit, et qualiter Medonte major, nomine communitatis, pro ville salute per gardianum Fratrum Minorum ad regem Karolum licteras scribit, et mutato consilio, idem rex eidem ville plenissimam omnium criminum abolicionem fecit.*

83. Hac tempestate Karolus rex clementissimus, qui, dum [in] flagiciosos severitatis gladio, scelerum ultore, sevire cogitur, gravissimum dolet ob nephandum regis et comitis Dunensis contemptum, blasphemie (B) sacrilegium et pertinacem induratis animis cum hostibus inherenciam, Meduntam supra amnem Secanam constructam ad aratrum solo equatam redigi proposuerat. Parum antea prepositus Parisiensis manu armata, et deinceps ballivus Ebroicus, altera vice paratis insidiis, ad regis obedienciam submittere conati sunt; ceterum detecte minus feliciter processerunt. Nempe Meduntenses hostilem induti animum in Gallos acerbiori protervia quam Anglici pugna sevientes, ingressum non rebus, non corporibus nociturum, crudelissime propulsarunt. Nec tanta contenti rebellione, cum nuper ut ad suum supremum principem redirent benigno jussu summarentur, maledici sacrilegam relaxantes linguam, in sacratissimorum regis natalium puritatem

Var. : (A) A *induratem*; (B) A *blaphemie*.

et in comitis dedecus, quamplurima falsa et mendacissima probrosa obloqui non verentur. Ob quorum immanem facinorum atrocitatem criminis lese majestatis rei indigni (A) gracia, nedum bonorum universorum, ceterum personarum confiscationem incurrerunt. Et, ut solet inter perversos, saltem unus justus et bonus incola reperitur, tunc temporis Medunte major, proxime originis sue ville subversioni condolens, ad regem Karolum nomine communitatis litteras scribit, quas, assumpta itineris occasione cum assensu barbari capitanei, ut exploraret an exercitus Gallorum Meduntam invasurus esset, vir religiosus Fratrum Minorum gardianus ad regis consilium Carnotum defert. Quibus lectis, Karolus rex omnium clementissimus princeps, ne humanum cruorem effundere cogatur, quod natura ejus ut divina permaxime abhorret, leticia ingentiori quam decem aureorum millia lucratum esse, afficitur, omnium perpetratorum criminum abolitionem more autentico propere fieri jubet, ac oblita propria injuria, universos in fame, honoris integritatem, in fortunas, beneficia et dignitates, summa regie auctoritatis plenitudine restituit. Atque Frater Minor reversus secreto majori Medunte principis indulgenciam, et palam capitaneo et Anglicis acies Gallorum cum omni furore, mora non expectata, in Meduntam ruituras nunciat; quo audito, formidine mortis exangues inimici perterrentur.

84. Major vero et burgenses, quibus elargite principis abolitionis secretum detexerat, ingenio arguto sedulam dant operam ut hostes deditioni assentire cautius inducant, quos pavido animo et voce tremula ac tristi alloquntur : « Proth dolor ! Ecce furor Gallo-

Var. : (A) A B *indignam.*

« rum vindicte flamma accensus una necis ferrum alte- « raque manu ignem ferens, in vestrum et nostrum « exicium gladiis pretentis accurrit. Aut nos in furibun- « dos dimicare, vel dedita villa, nostram vitam periculo « mortis proximam redimere necesse est. Si contra « geramus arma in tantam multitudinem nobis inimi- « cissimam, vires nobis nulle sunt. Nam si alveus unda « rapida cumulatus, si prevalida quingentorum dextera, « ferocium Gallorum impetum cohercere non potuit « quin in Pontulomaris nostros fortes obruerent, quo « presidio, qua virtute arida nostra fossata et impotens « nostra manus efferum istorum insultum arcebit? « Tanta enim moles rabie concita nos ferro et flammis « aggressos consternet. Villa vero subacta, sanguinolenta « victoria nec sexui, nec evo, nec dignitati indulgebit. « Universos cujuscumque sortis, etiam pupillaris aut « muliebris sexus, seu sacrati ordinis, cruentus gla- « dius consternet. Frustra domus fortis, frustra sanctum « templum nos profugos capiet. Pestifer iste furor « cunctos penates cremare anhelans (A) uno incendio nos- « trum cruorem effundet, et universa nostra devorabit. « Armis nemo nostrum incolumis discrimina capitis « ruentia evadet. Igitur hostibus villam, quam laxato (B) « furoris impetu moliuntur funditus evertere, offeramus, « ut a flammis jam incensis, a gladio evaginato, vite « nostre, uxorum, liberorum et rerum incolumitatem « redimamus. »

85. Burgenses enim et barbari unanimes, mortis terrore perculsi, Gallis comitibus, sex egregiorum pugnatorum millia ductantibus, valvas Medunte liberas patefaciunt. Generalis enim in suum statum nichilo diminu-

Var. : (A) A B *hanelans*; (B) A B *lassato*.

tum burgenses abolitio restaurat. Ville vero deditio, expulsis hostibus, qui centum sexaginta, quorum capitaneus unus predo vocatur Sancta-Barba, predam raptu quesitam et corpora variis facinoribus obnoxia illesa conservat. Medunta vero Bachi nature amicissima (A), verum populi austeri nutrix, pratis, nemoribus et Cerere locuples, inhumanissimis latrunculis, qui Franciam, Belciam et Vastinum destruxerunt, penitus evacuatur; atque Meduntenses, quorum proavi scelestam regis Navarre seditionem, et eorum patres dirum ducis Burgundie [s]cisma, atque ipsi liberi ferocissimam regis Anglorum crudelitatem, obstinatis animis secuti sunt, summa regis Karoli clemencia vita et fortunis condonatis potiuntur.

CAPITULUM UNDECIMUM

Qualiter rex Karolus per burgenses Vernolii honorifice receptus fuit, et qualiter Guillermus de Spatulis, de Constantino ortus, gener Francisci Arragonis, subtili et cauto ingenio castrum Longiaci sub regis obediencia reduxit.

86. Ac illa luce vicesima [sexta] Augusti, Karolus rex clementissimus, splendidissimo principum et nobilium cetu stipatus, Carnoto recessit, Vernolium profecturus; cui clerus sancto ornatu redimitus, et burgenses utriusque sexus, ac tenelli eorum pueri alta et dulci voce nova gaudia precinentes, composito processionum ordine, cum hymnorum et melodia canticorum campis occur-

Var. (A) A B *amicissimi.*

runt. Campane enim templorum vacuum aerem verberantes, jocundissimum regis Karoli eventum ubique preconisant. Ingenti leticia profusi exultant animi; pre nimio gaudio suum supremum regem conspiciencia rivulis lacrimarum tenere fluentium complentur lumina ; Vernolium flammis et jocunditatis facibus accensum relucet.

87. Et ut regia majestas celeberrima honorificencia et reverendo cultu Vernolii recepta fuerit, quidam nobilis, de Spatulis cognomine, Constantino cretus, ibidem mediocre patrimonium possidens, gener Francisci Arragonis ac castri Longiaci capitaneus, Anglorum rebus diffidit. Et si pertinacibus armis in regem Karolum opidum defendat, verenti animo cognoscit castrum, vitam et omnia possessa amissurum. Et ne tanta sibi consurgant adversa, barbaros a turre munitissima fortalicio predominanti astutus expellit, et in inferiori curia expulsos Anglicos ad castri defensionem collocat, ac deinceps sedulo studio precavet ut non quisquam barbarorum arcem salutis et fortunarum conservatricem intret. Cum senescalo Pictavensi, quem sanguinis materni necessitudo sibi amicum fecerat, certam et secretam pactionem habuit, qua secuta, socru, Francisci Arragonis lecti consorte, et Anglicis ignaris, infra turrem munitissimam non imbecillem electorum Gallorum copiam occultius (A) introduxit. Fragor armorum Francigenarum barbaros in curia soporantes expergefecit, qui, cum, gladiis arreptis, Gallis introductis obstare niterentur, inconsulto terrore obruti ducenti pugnatores a Gallis capti vinculis adduntur; et volucrum equorum, castrensiumque peculiorum opulenta preda victores ample ditavit. Uxor vero

Var. : (A) A *ocultius*.

Francisci Arragonis Gallorum intrusione nulla bonorum, genero procurante, amisit, verum cuncta reservantur intacta. Attamen ira succensa, socrus valde indignata generum exosum habuit.

CAPITULUM DUODECIMUM

Qualiter per eosdem principes Gallos bicastra et villa Vernonis sub Karoli regis imperio rediguntur.

88. Rebus enim Medunte compositis, strenuissimi comites Dunensis, de Augo, et Sancti-Pauli alacres Gallorum exercitus ad conflictum paratissimos Vernonem transferunt, qui ex uno latere magno fluvio Secana inaccessibilis, et bicastro fortissimo, fossis precipitantibus et ponte admodum tutatus, sese mortalium estimatione inexpugnabilem ostendit; cujus capitaneus, comitis de Auromontis Illandie natus, ducentos electos pugnatores regebat, ac sibi creditos per vigiles excubias vigilantius observare coegit. Hostes abinde fessis Gallorum acrium turmis, qui per arrupta murorum fastigia ferro quam pacto per demissam valvarum aperturam sibi iter vendicare mallent, circumfessi invasorum terrore in hanc legem devenisse compelluntur ut sabbato sequente prima lucis hora, si campestri pugna armis prestantiores non essent, se Vernonem Francorum regis locumtenenti cessuros pacti sunt. Opidani enim obsessi ad ducem de Sombresset et heroem de Talbot referre maturant, ut cum principibus Francie bellorum pactum deditionis Vernonis inirent (B), quibus appensius rogati

Var. : (B) A B *inierant.*

nulla petita succurrentia tulerunt arma, quamquam Anglie bellorum duces exercitatos pugnatores numero Gallis pares in pugne campum ductare possent. Attamen solicitus timor dubios rebellionis in Anglicum principatum animos exagitabat. Si exercitus suspecte urbis Rothomagi claustra exeant, compertum habent Anglorum imperium burgensibus invisum et ad Francorum regis obedienciam reditus fore concupitos; qua de re verentur, occasione absencie armatorum, ne Rothomagenses in relictam custodiam bello intestino excitato seviant. Hinc urbe barbarorum copiis destituta, publico certamine cum nostris dimicare non audent.

89. O furor Anglus! quid demens agis? Visne furentibus armis totius multitudinis tam potentis urbis voluntatem arcere ne ad Karolum regem redeat, quem summus rex pater supremum sibi principem jure natalium legitimo constituit? O vesanus furor! contra nature instinctum temerarium luctamen assumis, ut non devotissimi cives ad suum regem, omnium clementissimum, veluti liberiori fluxu ad occeanum Secana non decurrat? Eo audacius fidelium corda vi et metu (A) compressa in tuam tyrannidem irrumpent (B), quo acerbiori jugo contra proprium arbitrium et innatum amorem arces, ut non desiderata regis obediencia potiantur (C). Nec tandem obsistes quo minus potito voto fruatur, verum irruptione exose servitutis, veluti stannorum, fracta, toto furoris impetu in te, ferocissimum libertatis hostem, violentissimam vindicte inundationem effundet, quem procelloso intra urbis menia nauffragio mersum absorbebit. Nulla enim pestis capitalior ad principatum subvertendum

Var. : (A) B *victu*; (B) A C *irrumpet*; B *rumpet*; (C) A B C *potiatur.*

quam subjectos et domesticos cives tyrannica crudelitate sibi effecisse inimicos, quorum conspiratio immeditata et assultus inevitabilis vix aut nunquam precaveri aut retundi potest. Gallis siquidem principibus Verno redditur. Inde Anglici suarum rerum sarcinulis onusti Rothomagum accedunt. Burgenses vero fidi, novo sui regis dominio et retentis possessis freti, perfusius letantur.

CAPITULUM TERTIUM DECIMUM

Qualiter comites de Ango et Sancti-Pauli Gorniacum et capitaneum sub regis fidelitate, et Dunensis obsidione Haricuriam, et de Claromonte, et heros (A) *Aurivallis Cambriacum, sub Karoli ditione redigerunt.*

90. Nec multum post egregii bellorum duces Gallicas acies seponunt, trans amnem Secanam comites de Augo et Sancti-Pauli suas pugillum turmas agentes, patriam Caleti, fere ad solitudinem (B) redactam, ab hostibus evacuandam adeunt. Comitum Gallorum [ad] adventum capitaneus Anglicus, certo tractatu composito, suam personam et Gorniachum regis Francorum obedencie effecit. Verum citra flumen Secane strenuissimus comes Dunensis cohortes armatorum sibi commissas retentat, nec sollers bellorum dux milites inherti ocio marcescere dimittit. Instructa enim obsidione castrum Haricurie, nobilitatis antique et comitatus opulenti caput, omnibus belli rebus munitum necnon magnificum, tormentis apte collocatis, circumsonat; ac opidani invasi adversos arcus, balistas

Var. : (A) A *herox;* (B) A B C *solicitudinem.*

et colubrinas obtendunt. Ictu tormenti ab opido fulminati quidam bellicosus Gallicus ex sorte presidii Locumveris exactus vita defungitur. Nec mora, ex pestifero colubrine tractu Anglus temere detectus super infime curie portale trajectus excubuit. Fulmine repetito saxea glande dempsa fortalicii inferioris menia concussa perforantur; et tam subita et inopinata murorum fortium ruina metu incredibili perculsos Anglorum custodum animos terrefecit ut hii, proprie salutis dubii, cum preclarissimo regis locumtenenti in compositionem adducuntur (A), uti, si exercitus Anglorum, campum conflictus publicum certa luce concursuri, tueri non valerent, vacans castrum egrederentur. Nec attentius imploratum auxilium heros de Talbot nec ceteri capitanei obsessis inferunt, qui toto ingenio, toto conanime (B), suas vires consumebant ne cives, ne burgenses, egerrime Anglorum ferentes imperium, bellum intestinum excitarent. Succursu enim defecto, hostes expulsi cum ingenti merore castrum ornatissimum dimittunt, et centum quadraginta abeuntes barbari sua castrensia deditionis pacto secum apportant. Ac pari Marte idem egregius locumtenens et illustrissimus comes de Claromonte, necnon clarus heros de Aurivalle, a Cambriaco castro [Anglos] expellunt.

Var. : (A) A B *adducunt;* (B) A B *cognamine.*

CAPITULUM QUARTUM DECIMUM

Qualiter cives Ebroicarum et burgenses Locumveris summo cum honore regem Karolum receperunt. Qualiter dux Alenconii Essiacum, suum castrum, et Galli Diepe militantes fortalicium abbacie Fiscanni inconsulto assultu, et succursum ab Anglia transfretantem in navis descensu, captivant, et comites de Ango et Sancti-Pauli, interfectis Anglicis, violento impetu (A) *villam de Nidocurie usurpant. Qualiter capitaneus Rupis-Guidonis* (B) *naturali domino castrum red[d]idit, et se vassallum regis Francie red[d]idit.*

91. Serenissimus enim rex Karolus, quo pietate nullus secundus nec armis fortunatior unquam fuit, stipante nobilium cetu refulgens, cum celeberrimo civium honore et profusa leticia suam Ebroicam urbem, diciori apparatu ornatam, receptus adiit. Et deinceps profecturus ad fidelissimum Locumveris municipium, omni laude sempiterna dignum, honorificentia non minori, tripudio non impari, veneratus accessit. Hac tempestate fortuna belli anceps (C) barbaris infesta, quocumque seu per terras sive per altum perrexerint hostes, ipsis velut invisis adversatur. Ecce Anglici custodes ville castri de Esseiaco,

Var. : (A) B C *insultu;* (B) A *Gidonis;* (C) A *auceps.*

paterno jure illustrissimo duci Allaconii competentis (A), velut nichil periculi rure verentes, instantem dant operam ut quoddam stannum, satis longe a fortalicio constructum, irruptione aquarum facta, piscibus inibi natantibus evacuarent. Hoc comperto, Anglicos captura piscium morose intentos diligentissimus dux secretiori et citato itinere profectus singulos piscantes, velut milvus prede avidus detectos pullos, rapit, et raptis (B) ante ville (C) januas transductis, necem minanti vero domino duci Essiacum restituitur.

92. Cum enim Galli Dyepe militantes certum haberent abbaciam venerabilem Fiscanni, turribus et muris altis defensam, a pauca barbarie custoditam, inconsulto assultu recuperant. Et mox quamdam ratem nonaginta (D) et septem viros vehentem, ut debilem armatorum munitionem restaurarent, ab oris Anglie per fretum adventare Galli prospiciunt, quam ad naval(l)e liberam remis infelicibus subduci permittunt. Et protinus apulsos sors iniqua seducens opinatos suam partem jocoso succursu consolari, ferocium Gallorum manibus prodit; et qui inhumani captos variis tormentis excruciare consueverant, infra Fiscanni abbaciam compedibus asperis et strictis vinculis detruduntur. At fortuna indignata non quiescit ut serenos vultus adverterit, alumpnos, quos tot prosperis triumphorum successibus illexit, nunc invisos affligere; strenui enim comites de Augo et Sancti-Pauli vi et armatorum impetu villam de Nidocuria Anglicis refertam non absque cruore sparso occupant. Hic necatur Anglus, funibus contortis alter ligatur, ceteri fusi turpiterque fugati se castro salvos faciunt, quod pos-

Var. : (A) A B C *competenti;* (B) A B *raptus;* (C) A B *villam;* (D) A B *nonoginta.*

tremo dura obsidione coacti comitum arbitrio resignant. Post hec simulac Johannes Edouardi, Anglus Valigena, Rupis-Guidonis, fortissimi opidi supra Secanam edificati, capitaneus, fortunam belli Anglorum continuis cladibus involvi prospexit, rebus afflictis diffidens, consortis lecti Francigene persuasu, que in regno ampla dominia possidet, fidelem regis Francorum se fore vassalum sollenniter jurat, patrimonio uxoris gracia principis concesso investitur, et heroi Rupis-Guydonis castrum vacuum tradit.

INCIPIT TERTIUS LIBER

CAPITULUM PRIMUM

De ingressu exercitus ducis Britanie in Normania inferiori, et qualiter urbem Constanciarum obsedit et sub regis obediencia, hostibus expulsis, reduxit. Et qualiter heros de Radiis sub ipso duce militans castrum Regniville obsidione subegit.

93. Dum hec ad singularem corone Francie exaltationem, Numine favente divino, feliciter gererentur, preclarissimus Britonum dux Franciscus, ejusque patruus Arturus Richemondie (A) comes, connestabularius Francie, egregiam pugnatorum multitudinem, uti sex millia, coadunant; et ad custodiam Britanie versus Abricarum et Fulgeris fines inclitum fratrem germanum, dominum Petrum de Britania, cum tricentis bellatorum lanceis dimittunt. Profecto spectatissimus comes de Lavalle, ejusque germanus heros de Loheac, unus Francie marescalorum, ac dominus Radiorum et de Coitivi navalium bellorum Francie dux, maximaque quiritum copia, lilifera Francorum regis vexilla et signa ducis

Var. : (A) Rechimondie.

Britonum sequntur. Atque potens et consultus propositique tenax heros d'Estouteville, generosis et materna sorte locupletissimis duobus ejus liberis illustratus, exercitatissimos bello nomine (A) supra commilitones, qui tot labores, qui tot per mare et terras pericula, pro sacratissime rupis Sancti-Michaelis conservatione tulerunt, cum Britonum exercitu adjunxit. Hic dubios viarum anfractus, hic varios Nordmanorum mores, hic singularia hominum vota, hic varias castrorum muniones, quodve quod non facile capi possit, multo usu intime noverat. Ad hoc sua prudentia (B) innumeris casuum eventibus doctissima, in reductione Northmanie inferioris auxilium fructuosum attulit. Hic dux magni et liberalissimi animi cum exercitu militum alacri hostes per occiduas Nordmanie partes virilius invadit. Tanta enim bellorum multitudine turbati inimici tremescunt. Universa regio desideratissimo Gallorum aggressu exultantibus animis letatur. Unusquisque vicino invidens certat quis primo a barbara servitute colla excutiat. Bellicose enim acies ducis Britonum circumfuse Constanciam urbem opulentam, Virgini Genetrici consecratam obsident. Heros d'Estouteville, magnus Francie pincerna (C), et heros Radiorum, navalium bellorum princeps, qui anteriori exercitus tutele (D) preerant, ut quamprimum appulerunt, Constancienses jubent Karolo regi suam urbem liberam apertis valvis dare.

94. Extimplo tormentum horriferum in [h]ortis Fratrum Predicatorum in muros aptant, atque saxearum glandium fulmine hos deicere et robusto insultu expugnare aggrediuntur. Hoc acto, sollers cleri circumspectio

Var. : (A) A B *neminem*; (B) B *providencia*; (C) A B *piscerna*; (D) A *tutela*.

civium providencia trepide ab Anglicis seorsum consilium occultius iniunt. Considerant enim si pertinaci animo monitionem injunctam abnuant (A), et Gallis invasoribus improbe resistere contingat, regi Francorum prospere bellanti se infidos et capitales inimicos prodent; et ex adversa belli Anglorum sorte, cunctis beneficiis et officiis juri regali inherentibus, que hostis usurpata promotione occupant, destitui summa formidine verentur. Jamque fortunam vident hostium nichil firmum habere; hinc si suam ancipitibus eorum belli eventibus miscere sinant, maximo in periculo rerum et propriam salutem versari. Quamobrem a sorte hostium, quorum largitione magistratus et proventus acceperant, sequenda se advertere et Karolo regi urbis veram deditionem facere concludunt.

95. Interea Constancienses ad ambos bellorum duces armorum pondere gravatos domi Fratrum receptos optimi vini poculentum transvehi supplices curant; nec mora, tristi vultu et voce submissa barbaros alloquntur : « Videtis enim quanta Gallorum agmina nos inhermes « et vos paucissimos undique pretentis mucronibus « aggrediuntur. Aut valvas demissas patefieri ipsis « nostre salutis necessitas expostulat, aut crastino in- « sultu nobis rebellantibus menia illos transcendere « certum est. Nedum universas facultates rapient, sed « uniuscujusque nostrum jugulum acumine ferri inhu- « mani resolvent. Inita igitur compositione a discri- « mine necis misere impendenti vitam eximamus. »

96. Barbari quamprimum detractant urbem detentam componi, asserentes in breve potentem ab Anglia succursum venturum; persuadent enim ut clerus et cives

Var. : (A) A B *abimant*.

partitam inter ipsos urbem defendendam acceptant; ac illi arma se in Francorum regem non assumpturos respondent; et si Anglici obsessa menia tutari velint, soli in Gallos dimicabunt. Postremo cum Anglici intelligerent Constancienses suam partem relictum ire et illam Francie amplexum velle, non parum timent ne a civibus transversis proditi, aut repentino insultu obruti, hostium sevicia truncentur; hinc de urbis compositione quamquam egre interloqui assentiunt. Itaque diversis legationibus ad ducem Britonum, regis partibus in occiduis locumtenentem, sepius iteratis, pactio conficitur, qua ecclesiastici regis Anglie titulo instituti, seu verius intrusi, beneficiorum, et seculares promoti magistratuum, et Anglici castrensium possessores intacti conservantur, atque promittunt se locumtenenti urbem daturos.

97. O fortuna variabilis humanarum rerum gubernatrix, quanta vis tua potest! Ambiciosos dignitatum adversis facis inimicos et secundis amicos ostendis, quorum bellis prospere faves. Hii pro eorum parte induunt arma a quibus felices cursus advertis; in eorum castra protinus hostile convertunt ferrum. Sedulo enim Constanciensium ex[h]ortatu (A) heros Radiorum Regnivillam, validum opidum et marinum portum, circumsidet; ac intentus Gallorum exercitus varia et crebro repetita tormentorum infestatione compacta opidi menia contundit. Opidani vero acerrime invasi arcubus, balistis et colubrinis obtentis aggressores non segnius afficiunt. Hinc inde acerbum luctamen invalescit; Galli enim obsessores assultu improbo fortalicium, quamquam prevalidum et ab Avano ejus capitaneo, crudo tyranno, acre defensum, subjugare preparant. Hac de causa fasciculos (B) magna

Var. : (A) A B C *exhortatus;* (B) A *facisculos.*

in quantitate ad fossata cumulandum viri agrestes jussi festinant componere. Tandem atra mortis formidine perterriti, ipse capitaneus et secum interclusi, deditione facta, castrum libere exire cum suis fortunis pacti sunt, a quo idem belli princeps et Constancienses in armis, stricto ferro, barbaros excludunt. Et cum anterior ordo exercitus Gallorum Constancias rediret, agricolas ingentem lignorum struem ad fossas opidi complendum redis vehentes obviam habent, quibus asseritur castrum, expulsis hostibus, esse subactum : « Nil ligno isto opus « est ; deferte domum. » Ac populares odio vehementi accensi in ipsum capitaneum et suos gladiatores, omnium inferioris Northmanie crudelissimos, inquiunt : « Ni « viderimus oculo horum predonum expulsionem, vix « iremus creditum ; usque in locum nostras quadri« garias celeres devehemus ; si adhuc hostes nobis invisi « occupent castrum, ejus cumulabimus fossata. Si « fuerint exacti, gaudio non modico afficiemur ; ligna « enim delata ad foci usum Gallorum inibi militantium « cedemus ».

CAPITULUM SECUNDUM

Qualiter communitas ville Sancti-Laudi, primo baillivo Anglo et quibusdam officiariis obstantibus, sese in regis Francie obedienciam reducens, duci Britanie ejus locumtenenti ultro portas fortalicii liberas apperuerunt ; et qualiter Mattheo Goth, minanti sua suburbia comburere, tributum quater in anno impendere despuerunt, et vi armorum adversus ejus tirannidem se et pagos preservaverunt.

98. Exinde cum lanifica plebs Sancti-Laudi, suburbiis amplissimis ornatissimi, fidelis et supremi prin-

cipis amantissima, circaque divinum cultum perdevota, hostes invisos haberet, ante petitum ducis in Nordmaniam accessum, ut arma sumere properaret in Britania prece secreta attentius rogatum iverat, et profecturus acie structa liberum sue ville aditum reperiret. Nec plebis caruit fide policitatio. Turme armatorum flammantia sanctissimi lilii vexilla sequentes, suburbia a castro saxis et tractu facile tutanda sine resistente adipiscuntur. Et ut Laudigena plebs acies Gallicas appulisse prospexit, non ut hostili irruptione exanguis obriguit, sed calore in spiritu languido (A) refuso, domini naturalis adventu gratulans percaluit animosa, ac hylari facie accensa unanimis valvas debere duci aperire protestatur; et quod aliud nichil felicius quam sub Francorum regis obediencia reliquam vite partem agere et spiramen extremum ex[h]alare petunt.

99. Ac baillivus Constantini Anglus, et Northmani quidam officiarii plebi obsistere nituntur; asserunt absque prevalida repulsa municipium, loco et omnibus rebus munitissimum populoque refertum, hosti tradere fore scelus immensum (B) et dedecus in evum duraturum. Ac plebs animosa e contra : « Karolum Francorum « regem nostrum supremum dominum, et non alium, « profitemur, et dum prospera ad ipsum redeundi « facultas se offert, nedum ipsam omittere, verum quid- « piam (C) differre, sceleratissime infidelitatis est ; et abs- « que concusso et explorato consilio, dum secura oppor- « tunitas feliciter evenit, aratissimis animis cum summa « reverencia ipse princeps in suam villam existit reci- « piendus ; et hoc votum interna mente jugiter inclusum « gessimus. »

Var. : (A) A B C *languidos*; (B) A *immense*; (C) A B C *quispiam*.

100. Tum ballivus voluntati plebis ulterius reluctar; non ausus fuit, ne coorta seditio funesta irrumpat; sed dumtaxat humanitatis legum, quibus isto principante benignius hanc tractavit, recordari velit, attentius orat; et hunc sue deditionis et commilitones in antique familiaritatis memoriam fieri participes non postponant, quod ideo (A) tempore sui presidatus satis humane, satis benigne hanc rexerit, liberius annuit illum non pejorem sua compositionem habiturum; et decima septima Septembris strenuus Britonum dux, strenuissimi regis Francorum gloriose triumphantis nomine, quietam opidi Sancti-Laudi possessionem cepit, a quo barbari ducenti lege deditionis, facultatibus necnon personis intactis, expulsi abeunt.

101. Matheus Goth, Anglus, Baiocarum capitaneus, ceterique munitionum circumvicini, ferro in precordiis merso, burgensium cruorem effundere et ornatissima longe lateque constructa Sancti-Laudi suburbia flammis interjectis conflagrare minantur : « Si non », inquit, qua- « ter in anno tributis auri gravissimis solutis, ignes jam « accensos extinguant (B), [et] gladium jam vibratum « retineant ». Gallus enim novus opidi custos, Mathei Goth compater, ideo valde populo suspectus, pro personarum securitate et pagorum conservatione hoc onus fieri acceptum persuadet ; cui vulgus indignans torvis tyrannis, quibus belli fortuna adversatur, forte tributarium resistit ac inquit : « Sex annorum lustris et « plusquam dimidio asperrimo inique servitutis jugo « contriti istam tyrannidem nostrorum parentum cede « cruentam, facultatibus funditus exhaustis, aluimus « iterum ut jugum excussum subjiciamus? Nequaquam

Var. : (A) C *idcirco;* (B) A B *extingant.*

« colla excessu ponderis rapine confracta, et nunc « erepta prosternemus. Nostre enim pro libertatis pago- « rumque pro tuitione sanctissimum mortis genus adire « malemus quam repetitas exactiones crudelissima pre- « donum pabula hostibus impendere, que semel, si « concessa fuerint, ob elapsi unius termini defectum « ista tyrannis, que ex odio corde fixo in nostram et « rerum salutem crūdelitatem hanelat, captata occasione « nostra suburbia comburet et manus ferocissimas nostro « sanguine cruentabit. Satius igitur exactissima custodia « subitas hostium invasiones precavere, et in ipsas « virilius arma sumere, quam sub inani spe securitatis « in nostram perniciem tributis illatis tyrannidem nu- « trire et remissa vigilum ac armorum cura inopinatis « cursibus opprimi. Si quisquam nostrum pro libertate « et pro patrie salute vitam amittat, ipsum eterne glorie « premium laurea coronandum prestolatur. »

102. Unus Laudigena inter ceteros, vir nobilis, Bechevel Goherii heres, populares alloquitur. « Neces- « sitas salutis nostre nunc ingruit aut nostram liber- « tatem valida manu defendendam aut tributum gra- « vissimum hosti durius extorquenti fore impendendum. « Prestancius censeo nostris stipendia, quorum virtute « egregia acerbam irruptionem hostium expellamus, « quam torvis hostibus ve[c]tigal inferre, quibus nos tri- « butarios barbari acrius expugnabunt. Idcirco partim ex « auro, quod vi predonica a nobis extorquere hostis « nititur, militaria comparemus arma, et ex residuo « robustos juvenes in agris delectos, quibus ydoneam « dabimus armaturam, ad nostram tutelam conducamus. « Hac ēnim agresti juventute aspere nutrita, si instructo « sub duce dimicet, tyrannidis incursionem virilius « retrudere et nostra suburbia a flammis illesa preservare

« poterimus. » Hec sentencia plebi gratissima fuit; minis enim hostium spretis, ad solicitam pagorum defensionem denas vulgi armatas et vigilum custodes instituunt; suburbia accuratissime custodita universa communitas armis illesa conservat (A).

CAPITULUM TERTIUM

De reductione fortalicii Haye-Putei, et de robusta Anglorum insultus unius diei per sexdecim Scotos a turre campestris ecclesie de Barneville repulsione.

103. A Sancto-Laudo curracibus equis novem itinere leucarum non repastis provecti, Odo Dadye et Mala-Urtica — ferri punctura acrior nullus magis — infra Haye-Putei pagum strictis gladiis tam repentino impetu sese et suam cohortem ingerunt, quod, antequam de concursu rumor aures perstringat, inferius fortalicium occupant, turris alte cathenam mox capturi, ni quidam opidanus jacentem pontem raptim elevasset (B). Quosdam Anglos in caupona sese gurgitantes ex voluptate demergunt in carcerem. Inconsulto armorum terrore stupefacti trina hora labenti ab invasione opidani Gallis arcem satis munitam concedunt. Luce Gallis arce introductis, anxius vulgi clamor in decem latrunculos ferrum sumere sex nostrorum animos incendit, qui ancerum ceterorumque volatilium guttura torquent mulieresque excruciant. Hii

Var. : (A) A B *conservant*; (B) A *erexisset* exponctué, *elevasset* écrit à la suite.

latrunculi invasi, preda relicta, in quoddam nemus dumis et viminibus et ceduis arboribus consitum diffugiunt. Nostri et mulieres excruciate, uti canis aprum in nemoris dempsitate, istos predones venantur. Uno interfecto, duo funibus constringuntur. Una mulierum cesa suum excruciatorem vinctum agnovit, ac inquit : « Tu me nuper atrociter verberasti ; » protinus dextera explosa ab unaquaque genarum parte ipsum acriter collaphisat, ac volatilibus extorsis onustus ludibrio habitus in atrum carcerem adducitur. Gallorum enim alacritas latrunculos persequens a patria sibi reducta predonicam rapacitatem excludit.

104. Ab ista cohorte Scoti quatuordecim animosi quamdam campestris ecclesie, Barneville, turrem juxta maris littus sibi vendicant; ut contra Anglos Cesarisburgi et Sancti-Salvatoris castris militantes munitionem constituant, quam prestantissima virtute hostes defendunt. Profecto barbari valde infensi paucorum intrusione suos fines coarctari, ex presidiis prefatorum opidorum quingenti viri electi arcu, ligone et colubrina Scotos et turrem aggrediuntur, atque robusta paucorum animositas immani furente yra multorum ferocissimorum unius diei impetum et letifica eorum jacula viriliter obtundunt. Paries enim templi fossoriis dejectus barbaris ingressum aperit. Unus barbarorum introiturus a Scoto caput emergens abscinditur, et alter insecuturus, inspecto socio truncato pedem retrahens, telo conjecto et in plaga retento altius infigitur, atque Scotus Anglo illudens exclamat : « Meam gavelinam, quam tecum oneratus « apportas, michi restitue. » Demum barbari ex presidiis Constanciarum et aliunde subitam Gallorum ingressionem verentes, diurno certamine fatigati, turrem tenue munitam inexpugnatam relinqunt.

CAPITULUM QUARTUM

Qualiter campestres undique affluentes ducis exercitum maxima in multitudine augent et iter agenti alimenta ministrant, et qualiter vilatenses Carentonii Laudigenis maledicunt, minantes pagos conflagrare. Exinde qualiter idem dux, ad instantissimam Laudigenarum postulacionem, Carentonium, burgensibus fronte hostili resistentibus, obsedit, et tandem ipsi burgenses et opidani ad purum necis et vite arbitrium ducis se dederunt.

105. Atque campestres ferrum induti ad hostium impulsionem undique affluentes, ducis Britonum exercitus augent, et dum spectatissimus princeps ab uno castro in aliud acies in ordine bellorum compositas cogit, ex ypepis, magalibus et pagis omni parte vulgus surgit, et in transitu itinerum hic panem, ille carnem, unus siceram (A), alter avenam, et pauperrime matrone una pullam, hec ancerem, altera poma exercitui ministrat. Penes divitum lares preparata habunde milites alimenta reperiunt. Carentonium enim, quinque leucis distans a Laudigenis, in suum principem nephandum perfidie scelus commisisse improperat, vocatque genus infidum, genus molle, genus muliebre, lanificum, cui potius pensa quam arma tractare congruit; qui sine virili armorum luctamine hosti suas valvas ultro patefecerunt; nec illa Carentonii, nisi supra eorum pectora stricto ferro re-

Var. : (A) A B *sinceram.*

supinata, intrabit; minasque flammarum jugiter suburbia flagraturi (1). Opprobriisque infensi Laudigene vehementi ira excandescunt atrocissimas injurias severius vindicaturum iri; ardenti animo ducem obsecrant ut impigre expedito exercitu Carentonium invadat, et in ejus expugnatione ipsos fidos ac viros non ignavos probitatis vigor ostendet. Itaque indulto communitas Sancti-Laudi accensa magna in multitudine et armorum prestancia ducem belligerantem comitatur; atque Carentonium, exclamatorium litium tribunal, hostibus officiariisque eorum et negociatoribus in Anglia mercaturam agentibus occupatum, fronte inimica componi detractat, ducique Francorum regis auctoritate summanti valvas patefieri clausum jaculis grandine multis et tormentis fulminantibus introitum obturat. Magnanimi vero ducis infida denegatio iram exagerat.

106. Extimplo agrestes, quorum in armis erecta multitudo decem millia virorum excedit, quemlibet unum fasciculum (A) componere et propere afferre jubet, ut precipitantibus fossis cumulatis, ferocissima Gallorum et Britonum gens insultu Carentonium inimicum oppugnare valeat. Nec ulla vulgus jussa mora tenuit. Unusquisque humeris onusculum defert; quidam colonus amplum lignorum quadrigatam binis bobus et equis vectam adducit, ac inquit: « Ecce meum fasciculum (B), « princeps optime, fossas comple; si jubeas, iterum « aliam ista majorem afferam. Pomos quidem fructiferas, « quas cariores habeo, abscindere mallem quam ad tam « felix opus ydonea materia vacares. » Dux enim huma-

Var. : (A) et (B) A *facisculum*.

(1) Ce passage est altéré; M. Stevenson propose la correction suivante : *minansque flammis se igitur suburbia flagraturos*?

nissimus et nobiles inibi astantes super egregia rustici voluntate et ardore nimio, quem ad hostium ejectionem gerit, risum continere non potuerunt, et in uno ferventem ac fidam (A) totius patrie intentionem cognoscere gaudent. Signo enim insultus dato, burgenses et barbari terrore mortis constipati, tante militum alacritatis et totius patrie sibi adverse invasionem expectare non audent; verum ad vite et necis arbitrium regis Francorum animas et corpora castrumque duci ejus locumtenenti tradunt. Atque dux nobilissimus, regius nepos, avunculi Karoli summe clemencie imitator, admodum crudelis Henrici Anglie more tyrannidis gesta qui Gallos strenue pugnantes suspendi vel perpetuo in carcere retrudi jubebat, Anglorum corpora non dat patibulo crucianda. Ceterum perdomita barbarorum protervia, qui, faleris equorum superbi, cervicibus erectis equites a plebe venerati intraverant, omni pomparum ornatu exuto, spoliis predarum jure belli retentis, pedites baculo cortice eruta (B) nixi, ludibrii (C) spectaculo digitis ostenti, demissis vultibus Carentonium exeunt; necnon indulto lese majestatis crimine, in pristinis omnium possessionibus fisco, jure quesitis, officiorumque statu et beneficiorum dignitatibus burgenses restituit.

107. Qua ratione Carentonium pro hostibus contra tuum regem Karolum ferrum induis, et cetera tue vicinie municipia pro Karolo in Anglicos arma sumunt? Unde tam singulare et perfidum certamen procedit, ut te et tua obstinatis animis perditum eas? Communis enim vulgi, quod duris exactionibus et fraudibus exquisitis vexas, ut queritur, opinio asserit te copiosam officiariorum, apparitorum, cauponum, vectigalium (D), imposito-

Var.: (A) A B *fidem*; (B) A B *erecta*; (C) A B *ludibri*; (D) A *vetigalium*.

rum et conductorum multitudinem nutrire. Quid inde? Remne ob hanc suum regem impugnatum iri persuadetur? « Ymo », ait vulgus, « hec turba alieni appetens « ex privatis et publicis rapinis et extorta populari « substancia sub Anglorum imperio preda pinguiori ali« tur. Igitur cupiditatis cecitas tetra erroris caligine « intellectum obnubilans, et tabes avaricie letali infi« delitatis veneno animos corrumpens, ne lucrum ex « preda captatum perderent in suum principem Anglo« rum tyrannidem retinere solicitavit. Inviolatam tuo « principi fidem serva, et ejus immensa beneficia perpe« tua habe memoria, qui nedum beneficia, officia et « fortunas intactas, verum honorem, famam et vitam « tibi, reo lese majestatis criminis, indulsit. »

CAPITULUM QUINTUM

Qualiter conestabularius et Priandus de Coetivy vi armorum arcem Pontis-Ouve subjugarunt, et qualiter oblatis clavibus opidani territi Valloniarum fortalicium duci reddiderunt, et qualiter ad populi instanciam precum dux in Britaniam rediturus (A) *Gaverium priscis assultu inexpugnabile durissimo conflictu expugnavit.*

108. Interea Arturus Britanie, Francie connestabularius et Priandus de Coitivi, navalium bellorum dux, in opimum Constantini septum, arce Pontis-d'Ouve fluvii et pelagi amne circumdata, vi armorum capta, strictum

Var. : (A) A *redicturus*.

aditum nanciscuntur. Extimplo Valloniarum opidum libere patefactum oblatis clavibus Karolum regem in supremum dominum accepit, et plus quam quindecim prevalida castra in Constanciarum presidatu veteres, ejectis barbaris intrusis, profugos dominos recipere letantur. Postremo cum dux strenuissimus in Britaniam acies se rediturum decrevit, ad instantissimum populi clamorem vulgo irrumpente, Arturo duce, a Britonibus Gaverium in prerupto saxo constructum insultu domatur, quo castri sedes in arido Nordmanie solo conspectior et subici difficilior nulla reperiri putatur. Profecto mons natura velut opera circumquaque preceps, supra quem opidum construitur, hostium invasioni et tormentorum glandibus importunus existit; ad quod semita (A) angusta, artificio dumtaxat aperta, difficilem patefacit accessum, qui pugna leviori hostibus vetari potest. Hoc enim opidum loci iniquitate nec insultu aggredi, nec manu capi, nec machinis conquati, verum alimentorum inopia posse solum evelli, usquequo antiquis visum fuit. Hinc Andreas Trolot, ejus prefectus, bellator improbissimus ac ferri cuspide inter Gallos et Anglos nullus magis letifer, castri insolencia, et exercitatissimis satellitibus secum pugnantibus, omnis generis annona cumulate opidum farsit, ac rapina circumvicine agrorum spolia castro intercludit, et variarum constructione machinarum non parum munimenti validis menibus superaddit. Hic Anglus robusti corporis et vasti animi in tantam presumptionem evasit, quod audet sese superbissimum jactasse nedum contra ducis Britonum verum omnem Gallorum exercitum, dum Cereris suffragium assit, istud castrum in evum defensurum; nec, ut alii

Var. : (A) A *semitta*.

Anglici, qui pusilli animi ignave territi hostibus fortalicia male defensa tradiderunt, Gaverium, si non fames acrior vires exinaniat, in deditionem unquam adducet; vehementissima enim cupido potiendi Gaverio vi domito belli gloria Gallos invadit. Ecce alacres rem bello gravissimam et a priscis nunquam insultu aggressam tentant.

109. Omnibus vero paratis, circumquaque montis aditum cingunt; mirum! armati gladios, lanceas, arcus, sagittas supra terga gestientes, collis precisi summum ascendere nituntur. Pede et manu irrepunt, radici ac vimini inherentes parum sublevati sursum progrediuntur; ac ubi herbarum deest fragile juvamen, gladiis in terra conjectis sese sustentant, pedetentim continuo ascensu (A) ulterius procedunt. Agilitas enim Gallorum incredibilis diu et multum fatigata, demum, hostibus irruente lapidum evolutione repugnantibus, montis cacumen adeptum esse hylari animo letitat. Ac difficilimo et secundo assultu strenue provecti Galli audaciores effecti prevalido impetu jaculis et lanceis muros acerrime impetunt, ac vitam in aperta mortis pericula mittere non verentur. Nam opidani omnis sexus intus dextera ac leva ira inflammati ad murorum defensionem assunt, ac in Gallos vehementi conamine et violento jactu saxa fundunt, concussa fatiscunt arma. Contusi (B) enim mole lapidum gravi robusti consternuntur, sed oppressi virili animo in murorum aggressionem resurgunt; supra quos pinguedo ebuliens et sulphur ignitum evolvuntur. Fractis enim fictilibus, sulphurea olencia et liquantium fetidorum hanelitum tabefacit et obturat spiritus, adeo infecti vigorem respirandi libere vix habent, et sparsos invadentium exurit artus. In virorum auxilium, crinibus

Var. : (A) A *asscensu*; (B) A *contunsi*.

humeris dejectis, mulieres accurrunt; pulveribus ignitis Gallos menia ingressuros aspergunt; dempsa enim pulverum rubescenti nube oculos tenebris involutos vix possunt aperire. Jacula ignea cutem Gallorum tactam graviter ulcerant. Verum quanto ignitorum missilium acrimonia Gallos crebrius infestat, eo magis exasperati acerbiorem hostes invadendi vigorem assumunt, ac robustiori insultu muros ascendere nituntur. Hiis vero telis exhaustis, opidani conculsi alia rapiunt jacula, faces gelimarum frumenti ardentes in Gallos jaculantur. Tedas flammeas cuspide lancearum in ipsos casuras quoad possunt (A) a se Galli detorquent. Utrique atrocissimo prelio intenti, Galli pro murorum ascensu et belli gloria, Anglici pro castri tutela et propria salute, ab aurora in vesperum sese mutuis telis acerbius sauciantes ferocissimum conflictum agunt, quem nox superinducta in sequentem lucem protrahit.

110. Verum Galli, magis ac magis acerbiori repulsa accensi, alium insultus modum, non constantem invadendi audaciam mutant; ac nocte, in rigido montis ascensu usque in summum varios gradus ac speluncas et scissuras subtus solum in murorum radicibus approximantes construere quamplurimum laborant, ac trabes in uno extremo menibus et altero humi jacentes erigunt. Scalas, ostia et fenestras domorum ab omni parte populares impigri, barbarorum tyrannidem exosi, afferunt. Aurora lucem reducente, alacres Galli, graduum constructione adjuti, saxorum a missilibus ostiorum et fenestrarum velamine cooperti, cursim prerupti collis fastigium ascendere prospectantibus maxima in admira-

Var. : (A) A *coappossunt;* C *quoad possunt capescunt a se Galli detorquere.*

tione videntur. Foveis absconsi et sub panda lignorum strue ab ignitis jaculis protecti, juxta opidi portam subterreneo tramite gradientes, improbo et assiduo insultu cum ligonibus et fossoriis menium bases demolituri in opidanos seviunt. Perforatis enim muris et ingressu terre visceribus ad pugnandum cum hoste manu aperto, et ad conflictum vulgo furibundo undique propere affluenti, opidani ingenti terrore pavefacti, omni preliorum industria, omni militum robore, preparatam Gallorum invasionem expectare non audent; sed ut ipsi animos a virtute resistendi lapsos Gallis ostenderent, militare signum, insultus exordio superbe erectum et in exitu pugne mortis formidine depressum, a menibus projectum inter Gallos collapsum est. Tum ab ulteriori aggressu acerbissimus Gallorum mox impetus retrahitur, ac Andreas Trolot supplex sibi et suis fieri deditionem rogat, quam Britones eidem Andree tercia insultus die domito sub certa forma annuunt. Hujus munitissimi castri reductio, absque tormentis, animorum prestancia et ingenti corporis vigore expedita, summo honori victoribus cedit.

111. Inclitus ille Bertrandus, sui evi omnium militum clarior, novem mensibus decursis, arietibus, petrariis et crebris insultibus Gaverium, tunc regis Navarre castrum Gallis inimicissimum, infestavit, nec tamen armatorum impetu, verum fame ingravescente, deditione facta subactum, et post esse demolitum constat; quod, ut adversus ineluctabile magne ville fortalicium prevalida munitio certaret, sollers Anglorum industria fortius prisco restauravit. Nec modica me capit admiratio modernam antiqua bellis asperiorem marciam juventutem tam natura et arte munitum capi, necnon trina luce uno aggressu sine tormentis castrum subjugasse. Cete-

rum nichil populo extremis laboranti arduum inexpugnabile, qui, ut perosum dure tyrannidis jugum excutiat, pro recuperanda libertate varium certamen adit.

112. O tu Andrea, qui perpetuo, dum tibi subvenirent alimenta, te defensurum jactaveras, quarto die victualibus confertum opidum inexpugnabile Gallis, deditione facta, tradis! Itaque prelia ferro geri et exitu concludi videntur; paucitas enim armatorum in Dei suffragio confidentium multitudinem elatam propriis viribus ac validis menibus presumentem facile vincit et castra domat inexpugnabilia. Robustum enim corpus tuum laboris patiens, vastus et ferox animus belli non ignarus, et opidum loci iniquitate, artificio, et omnibus rebus munitum, te superbum a Gallorum expulsione tutari non valuere. Miraris, Andrea, unde defectus potencie processit? tua cesset admiratio. Hiis tribus, elato et tibi arroganti, divinum auxilium, superborum presumptioni semper reluctans, deerat. Cognosce ergo : quamquam nervosa membrorum valeat agilitas, si non vires robuste divina potencia adjuventur, naturalis mortalium vigor et militum industria incassum munitissima castra defendere et quid arduum producere in effectum conantur. Tuas igitur jactare, Andrea, et aliorum vires aspernari desine, dum absque hostis infestatione castrum insultu, ut opinaris, indomabile, te superbum et plus equo presumentem tuetur. Audacia et fortitudine ceteros opidorum custodes ex arroganti jactancia anteire ostentas; et cum asperior hostium insultus supervenit, contemptor aliorum virtutum in pusillanimitatem delabitur animus, et effeminatiori luctamine quam ceteri alia castra non eque munita, Gaverium inexpugnabile protegis. Quam gravis et periculosa obsidionum infestatio sit ferenda, et quam moleste cir-

cumdatos cruciet, nemo nisi fulminis, tormentorum et insultuum asperitatis ac famis inedie expertus cognoscit quid tanta Gallorum alacritate invasi agere valeant, an fortalicia debile munita cum parva manu contra tantam multitudinem tutari et vitam negligere, an hosti castra cedere debebant. Castrorum enim custodiam ea accepisse fide videntur, ut quoad possint (A) virilius defendant; et si obsessum eminenti captionis periculo castrum versetur, facta deditione, se fieri incolumes et salvos, non est pusillanimitas nec rei militaris transgressio.

CAPITULUM SEXTUM

De bino conflictu a quibusdam capitaneis Francie, uno in Anglicos Sancti-Salvatoris, et altero ex presidiis Virie strenue obtento.

113. Anglici centum et circiter quinquaginta ex presidiis collecti, Odonem et Malam-Urticam absentes rati, in vasto saltu, nomine Fuga-latronem, confectas e barbaris octoginta et sexdecim insidias molliuntur. Ac quinquaginta equestres, gladiis evaginatis ad pagum Haye-Putei cursitantes, subitum terrorem inferunt, ut clamor insurgens a fortalicio opidanos excutiat; deinceps lento gressu versus suos in abditis latitantes revertuntur. Opidani hostium infestatione lacessiti furentibus animis ignescunt. Et extimplo comperto strepitu impigri hastas, bipennes et arcus rapientes in equos acres prosiliunt; vibratis lanceis, arcubus intensis, et sagittis nervo aptatis barbaros insequntur. Et cum loco insidiarum eminus appropin-

Var. : (A) A. coappossint.

quant, Anglicos demissarum humilitate arborum non satis absconsos percipiunt, mox hostibus visis in ipsos magna vi ruunt. Nostri alacres equis acumine calcarium exactis, fulmineo ingressu lanceantes a quadrupedibus Anglicos deiciunt, violento impetu ordines rumpunt. Tanta Gallorum acerbitas intento concursu furit, quod, minori quam unius hore spacio, quinquaginta et duo barbari manus captivas funibus constringenti prebent, et octoginta equi hostibus dejectis substracti in novorum stabula jure belli dominorum adducuntur. Ceteri barbari turpiter fusi, huc illuc dispersi, quidam ad paludes, alii ad ceduam silvam fugiunt.

114. Hujus occasione rei strenue geste impulsi, ne muliebrem deliciarum voluptate et commilitones duram in armis vitam agere videantur, Gauffridus de Couvren, Constanciarum, et Joachim Rouault, Sancti-Laudi prefectus, ducentis equestribus delectis et stipendiariis de Torigneio secum accersitis, a Sancto-Laudo media nocte foras abeunt, ac militari ordine instructi hostes quesituri, cum quibus strenue dimicare, et opulentam predam referre valeant, circiter octava diei hora appulsi in valvas Virie equitant,, atque improvisum janitorem lancee acumine infixum unus Gallorum in fossata detorquet, ac alteri barbaro nitenti portam volantem erigere manum truncat. Ceterique opidani, armorum strepitu excitati, Gallis irruentibus fores obiciunt. Galli enim pedites pagi hospicia scrutantes duos barbaros in taberna fere perpotatos comprehendunt; ac duces bellorum secrete interrogantes obtestantur Deum illos acceleratam (A) mortem passuros ni super opidanorum dispositione veri-

Var. : (A) A *ad sceleratam*, dans le corps du texte, biffé; *acceleratam* au-dessus de la ligne est d'une autre main.

tatem detegant. Et quamquam ipsis captis gravissimum sit hostibus suorum archanum explanare, tamen ultimi supplicii formidine exacti inquiunt : « Tricenti nostre « gentis nocte hesterna versus Sanctum-Guillermum-de-« Mortegniaco profecturi istam villam egressi sunt, ut « quoddam fortalicium a nostro imperio defectum recu-« perarent. » Interrogati de itinere asserunt per quemdam saltuosum locum, satis insidiis opportunum, quem nominant, ipsos reversuros. Retentis enim barbaris, nostri se in abditis ydoneis abscondunt. Ecce hostium insidiarum exploratores in tenebras Gallorum incidunt. Et mox turba Anglorum conserta incedens citiori itinere in saltu emergit quam nostri et eorum detectores rati sunt. Collata enim nostra ad hostium potenciam, Joachim Rouault ait : « Nostre vires tantos viros armis exer-« citatissimos ad conflictum operiri, vel ipsos invadere « non valent; quam ob rem quid propter nostram salutem « agendum sit mature deliberemus. » Ac Gauffridus de Couvren inquit : « Nos urgens instantis periculi « necessitas diu consulere et ordines construere non « patitur. Optimum est, antequam hostes de forma pugne « disposuerint, accelerato congressu adhuc equis ince-« dentes turbare facultatem consultandi et prelium ins-« truendi ipsis aufferre, ac fortunam, sive prosperam, « sive adversam, tentare. Et quicunque pulcherrimam « amicam habet, hanc quanto zelo amet corporis agili-« tate et animi magnitudine nunc ostentet. » Ac ille acerrimus et firmus in pericula emergentia, calcaribus acutis exigens celerem equum, hasta pretenta mediam hostium in turbam furibundus irrumpit. Ac alii Galli eumdem vehementissimum impetum ferunt, acerrimo equitatu hostilem turmam consertam disgregant. Ac Galli firmioribus animis hostes turbatos ab equis preci-

pitant, et ad dexteram et sinistram manu cruenta quidam bipenni Anglos excerebrant, alteri lanceis fodiunt, quidam cum sicca jugulant. In hoc durissimo conflictu victores Galli Anglos octoginta robustos trucidant ac totidem captivos in vinclis superadductis constringunt. Ceteri perterriti, ut possint se fieri salvos, armis abjectis, huc illuc diffugiunt. Asperrima Gallorum celeritas barbaros inconsultos et turbatos contrivit. Quicunque miles Anglicis obvias, nequaquam permitte ut invicem consilium habeant, sed in ipsos ut furia vectus rue : repentino congressu pavefactos et exinanimes prosternes. Si secum te moroso deliberent, te pigrum debellabunt.

115. Confecta enim pugna, quidam egregius adolescens, Ludovicus de Rosenivillain, Gauffridi de Couvren nepos, Anglico secum captivo, ut gravissimo conflictus labore sudantem se paululum refrigeraret, galeam deponit. Mox Anglicus, gladio Ludovici arrepto, nudatas cervices confodiens ipsum Ludovicum minus cautum proditorie interfecit. Ob cujus cedem perfidus occisor et ferme (A) triginta captivi ultimum talionis supplicium luunt. Hac (B) cede edoctus, miles captivo et judex siccario nunquam arripiendi gladium facultatem incautus permittas, ne salute desperatus mortem quam sibi vel vincula preparas, ferro a te vel ab alio erepto tibi inferat.

Var. : (A) A C *frme*; (B) A B *Ac*.

CAPITULUM SEPTIMUM

Qualiter Constantinenses super recessu ducis graviter conquerentes persuadent ut castra Sancti-Salvatoris et Cesarisburgi subjugando inceptam reductionem consummare velit; et qualiter ipse dux benigne respondens se rediturum eisdem supplicantibus promisit. Et qualiter post recessum ipsius ducis Anglici barbarico furore colonos occidendo Constantini planiciem vastant.

116. Dum exercitus coguntur, duci Britonum Constantinenses verbis gravissimis conquerentes occurrunt : « Tu prospere, princeps optime, bellum incepisti, « sed ceptum infeliciter dimittis. Profecto sepius tenere « educati ex juvenili ardore et lascivo impetu bella « inchoant; verum dum rigidus hyemis algor teneros « invadit, vel estivus calor exurit, aut insueti laboris as- « peritas membra ferro indomita gravat, nichil duri « ferentes per ignaviam pusillanimiter infecta prelia « relinqunt. Hec effeminata mollicies infamie dedecus, « non triumphi honorem, propter animi inherciam re- « portat (A). Tanta enim macula tuam preclaram noli « denigrare gloriam. Non igitur qui impetuose inchoant « bella, sed qui virtute constancie principio feliciter « incepto finem felicius consummatum annectunt, vic- « tores sempiternis laudibus extolluntur. Ergo Sancti- « Salvatoris et Cesarisburgi, duo castra omnis Northma-

Var. : (A) A B *reportant.*

« nie fortissima, partem tui laboris extremam, cum aliis « subactis viriliter oppugnata junge. Nec ante gloriosus « habeberis triumphator. Sin autem, in necem nostram « infausto bello tyrannos irritasse cognoscas, qui si non « inchoata bella perficias, ideo quod in eorum expulsio- « nem arma induimus, ruent in ferrum, ruent in flam- « mam ; feris crudeliores nos omnium miserrimos, uxo- « res, liberos inhumane necabunt, et nostra conflagrabunt « universa. Nemo satis future calamitatis magnitudinem « quam incurremus verbis copiosissimis prosequi vale- « ret, si nostrum infortunium non miserearis. Igitur « tu, qui securitatis spem dedisti expectatam, celerem « confer opem, et a rabidis hostium insultibus nos redde « securos. Si enim aurum, ut tui commilitones stipen- « diantur, tibi non suppetat, apertos nostros cape thesau- « ros, et quibuscumque volueris effunde universos. Pro- « fecto te hostes invadentem constanti animo in vite « extremum prosequemur. »

117. Uti dux humanissimus erat, benignum graviter conquerentibus responsum dedit : « Non ociosa quies ad « corporis voluptatem, sed me urgens patrie necessitas « revocat. Revertar enim, nec segnior paratissimum suc- « cursum et salutarem rebus afflictis exitum felicem, si « Summus votis aspiret, laturus. Tempus ad modicum, « viri optimi, meam absenciam equo animo tolerare « libeat ; regem erga dominum meum, veluti magnis et « variis tempestatibus spectata fuit, vestra fides jugiter « firma et incorrupta maneat. Ducis enim Britonum « recessu, qui funestus et luctuosus Constantinensibus « fuit, adversum belli genus crudele et atrox, alterum « benignum et strenuum geritur. Nam efferata barbaro- « rum acerbitas rapina, incendio, carcere et strage trucu- « lentissimis uberrimam Constantini planiciem vastat et

« miserrimos colonos excruciatos necat. Hac tyrannis; « ista ignavia velut muliebris trepidatio fugit armatos. « Marcia enim Gallorum alacritas vulgus inherme et ne- « gociatores pacis amantissimos quamquam sub Anglo- « rum ditione constitutos, nec in rebus nec in personis « quidpiam infestat; et dumtaxat armis sceleratis pa- « triam opprimentes Anglicos persequitur, nec tam eo- « rum cruorem effundere quam ab injuste occupatis « tyrannidem propulsare certat. Propter enim crebram « Anglorum irruptionem Constantini sub rege Karolo « redacte agricultura deseritur; aut cesi, vel tetris carce- « ribus detrusi, seu coloni profugi vacantia arma relin- « qunt universa. Alteram vero ab Anglis captivatam tuta « rusticitas a Gallorum incursionibus inhabitat colitque, « et satos fructus recolligit. Planicies Constantini ab « occasu serva antiqua, ab Aquilone occeano, a solis « ortu magnis fluminibus, et a meridie palustribus aquis « defensa, divina scelerum vindicta ceteros plectenti, nul- « lam incursionem, nullam depredationem passa est; et « nunc in bellorum exitu Dei severitas hanc forsan in- « gratam, hanc divini beneficii oblitam, suo flagello, « barbarorum asperitate, modicum castigat. Nec diu « summa Dei bonitas, que misereri ut paternus ad filium « amor non obliviscitur, istam tyrannidem in populum « furere permittet; verum extimplo per subitam tyran- « norum dejectionem condolens vulgi calamitati superna « clementia incredibilem tranquillitatem rebus miseris « adducet. »

CAPITULUM OCTAVUM

Qualiter Allaconienses armorum probitate binas introitus ville arces occupantes, hostibus exactis, duci suo domino naturali januas patefecerunt; et qualiter ipse ingressus a castro expulit hostes.

118. Antea dux Allaconii in Northmania potentissimus, copiosa baronum et nobilium profugorum, quos exules aula propria nutriverat, multitudine associatus, meridialem ejus ducatus plagam optimam aggressus est. Ardore non parvo Allaconienses et totius principatus incole desideratum ejus reditum expectabant. Tum ejus proavos comites et genitorem ducem, omni pietate et justicia insignes, olim rexisse, nec ab eis aliquid pro quotidianis sumptibus extortum aut debitum injuste retentum habuisse commemorant; tum ipsum modernum ducem, cum a principatu expoliatus fuerit, in extraneis laudande suorum majorum consuetudinis imitatorem fuisse vident; tum in suos studio non minori affuturum, dum in amplissimo dominio restitutus erit; tum quidquid commeatus a subditis ceperit, fore soluturum non dubitant. Hinc ferventissimus subditorum amor; in tyrannos pro domino absenti et inscio burgenses Allaconii strenue dimicant. Binas, sue ville introitus, exactis hostibus, turres occupare non formidant. Burgensium subsidio fidelius adjuvante, valvis per ipsos apertis, sub aurora dux in armis strenuissimus Allaconii villam ejus principatus majoritatem liberius intrat. Tum terrore ingenti et metu concussi, a facie ducis Anglici fugientes se in castrum recolligunt; quos impiger crebra et dura obsidionis aspe-

ritate molestat, et tandem afflicti barbari domino ingredienti opidum reddunt.

CAPITULUM NONUM

Qualiter comes de Fuxis, in partibus Vasconie regis locumtenens, cum maximo nobilium et balistariorum exercitu collecto, villam Mali-Leonis et castrum obsedit, et primo burgensibus pavefactis dedicione villam subegit. Exinde rex Navarre cum maximo exercitu Vasconiam intrat opidanis Anglicis obsessis succursurus; deinceps cum ipso comite, ejus genero, familiarem sermonem habuit, cui gener socero respondens non se moturum donec campo victus vel victor esset. Hoc responso rex Navarre ad propria et comes ad suos commilitones rediens tandem opidum fortissimum subegit obsidione.

119. Illa tempestate in Vasconie partibus clarus et potens comes de Fuccis, regius locumtenens prefixus, egregios comites de Cominges, de Lesdrac, et vicecomitem de Leutret, ejus germanum, et quammultos alios proceres, ac secentos equites hastarum cuspide validos, atque decem virorum millia balistis mortiferis horrendorum armavit; quorum fultus presidio ductor egregius Mali-Leonis villam asperrimo congressu oppugnavit. Verum burgenses durissimum invasi tristi doloris spiritu verentur ne a tanta pugnatorum mole obruantur; petitam ferro villam regio locumtenenti tradunt; gressuque precipiti Anglici fortissimum omnium ducatus Acquitanie castrum occupant. Nam hoc opidum, supra preruptam

et altissimam cautem conjectum, non vi armorum, ceterum languida famis inedia dumtaxat venit expugnandum. Et quia illud annona necessaria vacuum et inane bellicosus et providus comes agnovit, ne intus deferantur alimenta armis properantibus circumvallat. Hoc audito, rex Navarre, Lilio ab antiquo adversus et Leopardo confederatus, omni parte exercitu sex millium virorum collecto, Anglicis succursurus Vasconiam intrat ; et cum a loco castri obsessi quatuor milliaribus distaret, suas acies in unum coegit. Nec propius equidem potentem et admodum instructum fossa, ag[g]ere valloque circumdatum comitis de Fuccis cohortes audet invadere, quamquam antea ipsum obsidentem sui federati regis Anglie opidum se expulsurum arbitraretur.

120. Hanc ob rem nuncium publicum ad eumdem comitem ut secum loquatur celeri itinere transmittit, et salvo conductu recepto, rex socer et comes gener ab obsidione non longe nisi quarta unius leuce parte conveniunt. Et tum socer ad generum familiarem sermonem habuit ; ac inquit ipse rex quod ipse castri invasi custos et ejus pro ipso connestabularius capitaneus erat ; quod inimicos adversus omnes regis Anglie fideliter custodire et virilius tutari se facturum promiserat. Ideo maxima ipsum admiratio cepit quo ausu supra custodiam sibi creditam ipsum castrum obsiderat, potissimum attento quod ejus filia dilectissima sui lecti consors existit, a qua pulcherrimam prolem generis et nominis sui propagatricem receperat, ratione cujus affinitate contracta perpetuo federe amoris ad invicem jungi debebant, nec unum contra alterum perniciosum aliquid moliri fas erat.

121. Ad quem paucis et graviter dictis gener comes respondit : « Superillustris regis Francorum ligius vas-
« salus clarissimoque ejus genere procreatus et sua auc-

« toritate inter amnem Garonam et montes Pyreneos
« locumtenens prefixus, patrie defensor sum ; tum fideli-
« tatis sacramento, tum sanguinis necessitudine, tum
« officio publico meo principi supremo astringor, et nemo
« magis. Cara est michi tua affinitas ; carior est tua filia
« michi sponsa ; ceterum omnium istorum est michi ca-
« rissima fides publica, quam ad meum supremum regem
« et communem patrie utilitatem consecravi. Tue enim
« hanc caritatem, ceteris tuam anteponam ; et ab hujus
« obsidione castri me perseverantem cognosce non motu-
« rum, donec mortem expectaturus pugna campestri vic-
« tus ero, vel victor ad mei regis obedienciam reduxero. »

122. Ut rex Navarre sinceram generi fidem, quam ad regiam majestatem gerit, violari non posse, et potenciam illius imparem esse certum tenet, acies ex diverso hominum genere coadunatas dispersit ad propria redituros. Opidani vero succursu et victualibus prorsus destituti strenuum comitem de Fuccis dediti castri obsessi, regis Karoli nomine, possessorem efficiunt. Paucis diebus post exactis, heros de Luceyo, castri reducti proprietarius, quem secentorum turba pugilum rubra cruce signatorum comitatur, Francorum regis fidelitatem in locumtenentis manibus prestitam ut ligius vassalus se inviolabiliter servaturum sacramento vovit. Tum projecta sanguinea et nivea cruce Francorum signo assumpta, ipse heros de Luceyo et ejus preclara nobilium comitiva jocundi ad lares paternos redeunt. Exinde crux alba a patribus et maritis delata ingentem admirationem et terrorem pavide intuentibus liberis et uxoribus attulit, ut hec viros et parentes effectos sibi inimicos verissimum indicaret ; sed narrata facti serie, trepidans sanguinis conturbatio quievit, quamquam non omnibus hec conversio propter inveteratam hostilitatis habitudinem grata fuit.

CAPITULUM DECIMUM

Qualiter comites Dunensis, de Claromonte et Niversensis castrum Oxomiarum (A) *antiquitus urbem, terrore fractis opidanis cum suis fortunis recedentibus, in regis dedicionem accipiunt; proinde ipsos bellorum principes burgenses ultro infra Argentaneum* (B) *intromictunt, ac Galli principes, partim vi muris dejectis, castrum subeuntes Anglicos in munitissimam turrem fugant, a qua tandem ad locumtenentis nutum dediti omnibus fortunis exuti, baculo nixi turpiter et ignominiose recedunt.*

123. Ad inceptam a Northmania hostium depulsionem revertor. Strenuissimi comites Dunensis, de Claromonte, Nivernensis, occupatum ab Anglicis castrum Oxomiarum ferri metu concussum eximunt; pacto tamen deditionis preservata corporum salute, castrensia barbari recedentes apportant. Deinceps propere iidem bellorum duces preparatissimam obsidionem ad fidissimum et ornatissimum Argentanei opidum transvecturi accedunt. Anglici alacri bellatorum manu circumdati, seclusis burgensibus, oc[c]ultum consilium ut in Gallos repugnarent seorsum iniunt; ac inquilini, cum certis argumentorum conjecturis barbarorum secretum animadverterent, nostris petito et dato signo convento, Anglicis consultantibus super forma obsidentibus resistendi et ignaris, Gallos intromiserunt. Ac villa subacta, Anglica custodia properans ad castrum decurrit; et tanto mox tormenti fulmine compacta opidi menia quatiuntur, quod patefactum

Var. : (A) A B C *Oxoniarum;* (B) A *Argentane.*

muri lapsi foramen quadrige amplissimum preberet ingressum. Hujus hyantis foraminis appertura bellipotens Gallorum celeritas opidum intrat, ac flagrante impetu turrem in excelsam barbaros fugat. Extimplo quidem, ut vident sub mortis impendenti, seu ad minus captionis periculo versari, se victos ad purum locumtenentis arbitrium dedunt. Dux enim humanissimus non cruci, non carceri deditos more Henrici Anglie adaptat, sed quilibet, hasta commutata in colum fragilem, dextera baculum amplectens abcedit. Heu! quam varia et caduca existit armorum potencia! Mane enim tyranni equites furore vecti in miserum populum cruentas manus erigunt, et vulgo rapinam ac necem cuspide ferri pretenta truculentissimi minantur; ac sero pedites mansueti effecti sanguinolentas dexteras deprimunt, ac tenui baculo sustentati nulli prede, nulli mortis terrorem inferunt; ceterum ab humili vulgo quod antea raptis exuis et cruciatibus graviter illatis depredati sunt, viatici suffragium mendicant.

CAPITULUM UNDECIMUM

Qualiter rex Karolus apud Locumveris suam curiam tenebat, et Gailliardum fortissimum castrum per senescalum Pictavensem ceterosque milites egregios obsideri fecit; et qualiter Ricardum Malbery Anglum, certo pacto per senescallum Pictavie apposito, in fidelitatem, et castrum Gisorchii in sui obedienciam recepit.

124. Tunc temporis strenuissimus rex Karolus apud Locumveris municipium curiam presencia excellentis

regis Cicilie ejusque germani Karoli de Andegavia, Cenomanie comitis, et quamplurimorum magnatum, procerum, et nobilium illustratam tenebat ; et nedum Galliardum, prevalidum castrum in rupe excelsa conjectum supra amnem Secanam, precise cautis iniquitate et artificio munitissimum, nullo tormentorum fulmine labefactandum, in regis Karoli obedienciam venerat, quamquam illud senescalus Pictavensis et heros de Jalongniaco, unus Francie marescalorum, Johannesque de Bressiaco ac Dyonisius de Chalonniaco (A), ambo strenui milites, obsidione infesta et vi armorum crebro molestant. Ad hec certamina bellipotens rex Karolus adest. Bello ante, non armis sed armorum terrore, tractatu cum Ricardo Malberi, Anglico capitaneo, per Pictavensem senescalum celebrato, a Karolo rege opidum Gysorchium recuperare contigerat, eo pacto quod idem Ricardus cum quadam nobili Gallicana matrimonio junctus(B), jurata fidelitate, vassalus Francorum regis effectus, non modico uxoris dominio gaudebit, ac duo ejus liberi in Pontulo-Maris capti a carceribus absque auri prestatione immunes liberarentur.

Var. : (A) B *Caloniaco;* (B) B *conjonctus.*

CAPITULUM DUODECIMUM

Qualiter, ante Galliardum arce erecta (A), *rex Karolus in Locumveris regressus suos exercitus in unum convocat, et deinde in Pontis-Archam sese confert, et inibi cum suis principibus concludit pocius pio interventu quam rigido ferro suam urbem Rothomagum se mal[l]e recuperaturum. Hinc nuncios armorum summaturos opidanos ut civitatem sibi reddant, qui per heroem de Talbot et alios variis minis affecti et licteris regiis laceratis et humi pede contritis, impediti ad populum sermonem non habent. Post regressum rex Karolus, injuriam publicam egre gerens, suos exercitus ante urbem transmisit, qui trina luce urbem circumstantes, tandem* (B) *nimbo ruente nimium fatigati, publico conflictu hostibus oblato, ad Pontis-Archam recedunt.*

125. Ante Galliardum arce valida erecta, ut victualibus substractis fame bellatrice acerrima victi hostes a rupe ineluctabili eruantur, armis prudentissimus rex Karolus Locumveris repetit. A barbaris equidem Rothomagum opibus et populo urbem potentissimam, ducatusque arcem et provincie metropolim eripi desiderans, ad se binos comitum Dunensis et de Claromonte in media pugnantum, necnon de Augo et Sancti-Pauli, superiori plaga bellantium exercitus accersiri jussit. Haud vocati morose crastinant. Acies Dunensis Novi-Burgi planiciem, altera

Var. : (A) A *erepta* ; (B) A *tandam.*

vero de Augo ultra Secanam juxta Rothomagum campos tenet. Rex enim Karolus, rege Cicilie Renato, aliisque principibus associatus, se in Pontis-Archam confert, quem ingenti leticia et summo honore colendissimum principem incolarum applausus recepit.

126. Pauca post clementissimus omnium rex Karolus, ut recto tramite incepta bella procedant, et pio magis interventu quam rigido ferro, uti non cruor humanus effundatur, suam urbem sibi vendicare mavult. Quam ob rem per publicos nuncios Liliorum insigniis auctorisatos Rothomagum occupantes summatum transmisit, ut restituta urbe ipsum Karolum Francorum regem in supremum principem habeant. Verum immanis Anglorum feritas obsistit, ne heraudi armorum precones ad populum injunctam legationem ferant. Et quamquam lege bellorum perpetua inter omnes gentes, etiam Cristi nomine inimicas, securitate inviolabili utantur, tamen a barbaris durissimum et insuetum responsum assequntur, si non propere recedant in eorum jugulos cruentus gladius demergetur. Et ille ferocissimus omnium tyrannorum heros de Talbot, regias litteras a manibus nunciorum ereptas lacerat, et laceratas in contemptum regie majestatis in lutum projectas sacrilegis pedibus conculcat. Ac sanctissima contra bellorum jura justissimus rex Karolus nuncios legatorum vice fungentes a barbaris crudelius habitos et securitatem violatam eger[r]ime tulit. Et juste ; nam qui atrocem injuriam publicis nunciis infert, ordinem et bellorum leges conturbat. Ob indignissimum cujus commissum egregii principes antiqui tam perniciose transgressionis reos severissimis armis persecuti sunt.

127. Ut sapientissimus rex Karolus non publico jure, sed ferro cum barbaris certandum erat agnovit, extimplo

huc illuc pallantes exercitus coadunari et ante Rothomagum transduci fecit, quorum prudentissimum comitem Dunensem ductorem instituit. Trina luce structe acies Gallorum urbem circumstant, Anglorum concursum campo publico expectature. Diebus enim hiis copiosus ymber ab ethere ruens jugi aqua et immundo (s)ceno madentia Gallorum arma fatigat ; gravem corporis, gravem equi jacturam patiuntur.

128. Cum dux Anglus et heros de Talbot armis exercitatus viderent quod Galli belli principes ad strictum certamen exercitus Anglicos, pugna campestri oblata, irritarent, tum ad hostium provocationem, ut providi bellorum duces, conflictum inire detractant. Tum armatis et sagittariis muros complent ; tum menia vigilantius ab inimicorum impetu tutari et non acies ab urbis claustris educere statuunt. Haud in civibus confidenciam habere, ne[c] se campo publico credere audent. Formidant enim si sors anceps (A) belli campestris ipsis adversaretur, vel si septum urbis egredi contingeret, Anglicis reversuris obversas januas cives obicerent. Dumtaxat quidam quadrupedum cursu prestantes egressi in Gallos equestres ruunt. In adversos quidam Galli alacres, equis calcaribus adactis cum hastis irrumpunt ; acrem equ[u]m occurrere equo forti pulcherrimum spectaculum delectat astantes. Unus equidem Gallus volucri equitatu doctissimus, bastardus de Sobriaco, cum lancea tergo hesura fugientem hostem in urbis januas prosequitur. Lubrico enim (s)cenoso quadrupede precipitanti, Gallus audacissimus inter conferta hostium agmina corruit, collapsusque ab inimicis ferocissimis captivatur. Casu enim fortissimi equestris iniquo presentes mesti intrinsecus afficiuntur.

Var. : (A) A *auceps*.

Galli vero bellorum duces in urbis murorum aspectu militari ordine pugnaturas acies instruunt. Postremo jubent ut heraudi cives et Anglicos Rothomagum occupantes summatum irent, ut regi Francorum urbem reddant; ceterum Anglici nequaquam portis appropinquare, nec ad populum sermonem habere concedunt; velut primi, capitum minis et injuriis ignominose affecti, secundi nuncii redeunt. Cum strenui comites bellatorum ductores Anglicos publicum conflictum recusare, nec Rothomagum Karolo reddere, et jam hyemem rigescere viderent, imbrium tedio fatigati ad Pontis-Archam revertuntur et campestribus villis dispersi (A) armati hospitantur.

CAPITULUM TERTIUM DECIMUM

Qualiter post comitum recessum, Karolo rege et suis aciebus (B) *ante Rothomagum reversis, quidam Galli urbis murum adepti, et temere adeptum custodientes, ab heroe de Talbot crudeliter et misera clade introducti expelluntur. Et qualiter hujus introductionis auctores sub mortis ambiguo considerantes vitam versari, populo arguto et proviso ingenio persuadent ut a rege Karolo, commocione exorta, gubernatores urbis composicionem petant.*

129. Jam horrida hyberni frigoris asperitas cohortium cuneos dissolvi, jam milites armis exutos huc illuc per pagos hyemare cogebat, si non ferventissimus in Karolum civium amor intus contra hostes dimicans arma et

Var. : (A) A *disparsi*; (B) A *acciebus*.

exercitus revocasset. Post Gallorum comitum recessum scalida et tristis urbis facies nutat, necnon mens intrinseco dolore confecta nunc in hanc, nunc in illam partem multa et diversa secum volutat. Unusquisque exosum barbarorum jugum abicere et peroptatissimam Karoleam majestatem armis raptis introducere moliuntur; sed nemo alteri sua detegere nec alterius vota scrutari audet, ne secretum alii confessum hosti prodatur. Tamdem prestantissima quorumdam civium confederatio, fide publica et zelo urbis devicta, binis turribus armatis completis in Anglicos per murum intermedium se Gallos facile introducturam ; et hoc summe velle exsequi, apud Pontis-Archam regi Francorum nunciat ; Comperto enim hoc voto, ne (A) mora pigritante tam preclarissimus fortissimorum civium conatus felici vacaret effectu, Galli bellorum principes Karolo regi jubenti cursu citato acres Rothomagum reflectunt ; et ipse rex Pontis-Archam egressus, rege Cicilie comitante (B), armatorum cuneos insequitur. Appulsi vero bipartiuntur exercitus ; quidam ducum juxta dampnatorum Crucem signa figunt, alii vero inter Cartusienses et urbem ordine bellorum (C) constructo in armis consistunt. Et ecce quidam fidelissimus civis, eques, secreti conscius, cum turma hostili, ut ferventiori desiderio ardesceret aliquem Gallorum ferri cuspide impetere, urbis claustra egreditur, et cum liberiori in campo receptus fuerit, non in Gallos pretentam vibrat, verum lanceam precipitat humum, displosaque manu nostros advocat, et rapide accurrens nunc urbem intrandi adesse ydoneam opportunitatem Gallis principibus nunciat. Civis equidem optimus omnes attentius interpellat ut unus-

Var. : (A) A B C *nec* ; (B) B *concomitante* ; (C) B *bellatorum*.

quisque in tam arduo facinore tot periculis spectatum corporis vigorem et animorum probitatem ostenderet.

130. Tum impigri strenuissimi comites Dunensis, de Augo, de Claromonte et Sancti-Pauli, necnon senescalus Pictavie et ballivus Ebroicus, milites fortissimi, protinus ab equo humum prosiliunt, pedites recto gradu turmas pugnatorum disponunt. Acerrime senescali et ballivi cohortes murorum aggerem occupant, precipites altis fossis illabuntur, erigunt scalas, irrepentes ferro onusti ascendunt menia; binas arces nanciscuntur animosi, populosam intrant urbem, magnanimique cives ipsius ingressus auctores armati cum Gallis junguntur. Audacia immani nostri muros acriter scandunt; immani vecordia hos partos insulse conservant. Nempe (A) ut fastigium supra astarent, nonnulli nostrorum mox e vestigio sine prava cupiditate ceci, uti vulgo avaricie arguuntur, seu ausu temerario communi Gallorum morbo elati, relicta murorum tuitione stricto ferro huc illuc vagantur. Tumultus enim ingens ad celum vectus barbaros ad arma excitat; vulgus inconsultum et hujus rei ignarum Gallos introductos urbem diripere et civium opulentiam (B) predari arbitrantur, ac seductum sentencia, cum Anglorum ferocitate ad Gallos expellendos truculenta ministrat arma. Furiosaque in cives hujus facti actores et Gallos intromissos malignitate concitus heros de Talbot, rapto ferro, caninum signum (C) erigit, quod efferata sagittariorum mortis artificum crudeliumque satellitum furia sequitur. Effrenato enim impetu, strictis gladiis sanguine cruentatis missilibusque letificis Gallos invadunt. Supra menia pugna geritur asperrima. Proth! tantum crudorum hostium furorem tantamque vulgi multitudinem Gallorum et

Var. : (C) A *Nampe*; (D) A *opulentium*; (E) B *suum signum*.

civium paucitas sufferre non potuit. Anglici vero, forulis exhaustis telorum dempsitate, grandine ab ethere ruenti multa et vi armorum, a Gallis cesis fugatisque muros recuperant. Gallus quidam sagitta exactus necatur; hic ferro confoditur; alter jaculis hirsutis a turribus altis in profunditatem fossorum precipitatur. Corruentium unius ylia cadere, hujus cerebrum effundi, alterius crura frangi, horrendum et miserandum spectaculum, videres. Etiam cor saxeum vix aut nunquam pias lacrimas continuisset. Rex enim Karolus humanissimus super tanta suorum clade uberrimum flevisse comprobatur.

131. Ille funestus Talbot ex[h]alans pectore infimo crudelitatem, quotquot arma contra sumpsisse suspicatur cives inhumane trucidat. Propter insanam nostrorum dispersionem, que res plerumque fedius quam adversa jacula potentes acies, maxime nostras, captata preda confundit, cum hoste a Gallis nunc et alias male certatum est. Sane locus per cives acceptus murorum ascensus satis levem ingressum et tutam munitionem nostris, et hostibus gravem (A) ad pugnam introitum aperiebat; hoc tamen cautius proviso, dum intromissi gregatim conglutinati summum adeptum, ut aggressores strenuos decebat, murorum, et non disgressi ad predam, propensius defendissent, profecto solum adintra muros compactum simul et adequatum, in modum aggeris precisum, satis latum longumque ut commode preliorum ordines instrui possent, in ascendentium tutela receptaculum ministrabat. Ad quod turrium constructura, murorum ultra limites protensa, nisi per arcta earum ostia in Gallos concursum excludebat. A fronte vero campus longe seclusa domorum coherencia subsidit juxta extrusus (B), in quo si sagit-

Var. : (A) A *gravamen* [illegible] *ensus.*

tarii ab aggere telorum tractu prohibuissent, hostium nemo emergere ausus fuisset. Haud dubium in mille robur paucorum hasta et geso angustum turrium transitum cohercere poterat. Verum quidam civis carnifex animosus, manu valens, in uno arcium ostio dimicans, intrusos quinque barbaros unum post alium bipenni trucidat ; et cum tam furiosam hostium multitudinem extrudere solus vir strenuus fuerit impotens, [ut] se ex (A) periculo summo implicitum a tanta clade instanti eximeret, in fossatum prosiluit incolumis. Universe urbis facies lugubri scalore (B) confecta immutatur et ingenti metu concussa tremescit. Adeo tanta periculi magnitudo per omnes familias ingruentis horridam mortis ymaginem cunctorum, etiam hostium, turbans animos incessit, quod neque loco civis neque alterius cuiquam hominum satis tute confidit. Namque cruenta Anglorum immanitas introductionis consortes et inexorabilis Gallorum furor hujus facti ignaros perterret ; sed arrectis paulo post animis, quamquam illa dies infausta et luctuosa Gallis introductis et civibus hujus rei auctoribus graviter incommodaverit, attamen occasio civibus in unum adversus inimicos vires uniendi et triumphi honorem consequendi clarior illuxit. In hoc truculentissimo conflictu sexaginta egregii ex Gallis armati et cives occubuerunt.

132. Cum piissimus rex repulsum suorum ingressum minus feliciter processisse et animos civium non unitos accepit, ad Pontis-Archam, exercitibus in villis campestribus dispersis, cum splendida principum aula remeare decrevit. Cives enim hujus rei participes, et presertim modernus Rothomagi vicecomes, statim Anglicos insania vectos, quotquot istius introductionis auctores reperierint

Var. : (A) A B *ex se;* C *ut se periculo;* (B) C *squalore.*

inhumanis cruciatibus extorturos animadvertunt. Quo detecto, furibunda eorum crudelitas miseranda civium cede cruentari non omittit (A); nec in promptu salubrius ullum habent consilium quam ut populo non propter predam sed a dura hostium servitute liberationem Gallos intrasse urbis claustra persuadeant ; ac ipsi repulsa lacessiti non diu expectato universum vulgus ferro flamma-[que] perdituri ferocissimos insultus reparabunt. Quam ob rem ne urbs impetu subacta cruore humano sparso defluat, cives istius facti conscii populum excitant ut, invalescente plebis commotione, barbari urbis gubernatores a rege Karolo compositionem petere cogantur.

CAPITULUM QUARTUM DECIMUM

Qualiter dux de Sombresset, sedic(c)ione plebis coorta, cum Karolo rege se petiturum urbis composicionem cogitur, et qualiter ambaciatores regis et Anglorum necnon civium in Portu-Sancti-Audoeni conveniunt. Quibus armis cives ab urbe hostes in fortalicia fugientes claro triumpho potiuntur.

133. Deinceps postera luce vulgus maxima in copia inflammato corde ruens velut perterritum urgentissimo clamore ducem de Sombresset, infra amenam urbis domum constructam, non longe a muris stantem, aggreditur. Patefacto, Gallos armatos non ad spolia urbis rapienda, verum ad hostium dejectionem intrasse, amarissima tristicia cives introductionis non participes afflixit et

Var. : (A) A *omittet.*

Anglicos in Gallos arma tulisse, et exclamat : « Ecce « furor Gallorum illico reversurus nos miserrimos inva- « det et nullus nostrorum cruentas eorum manus effu- « giet. Cum ipsis tractatum habere volumus. » Ac dux, ut princeps modestia temperatus ac in vulgi commotione prudens, animos populi ira et tremore concitos mulcere et placare arbitrans, dictis blandissimis tumultuantem plebem alloquitur : « Non est trepidandum, amici dilec- « tissimi ; nichil pericli existit. Ipsi abeunt, Deum obtes- « tor, nunquam redituri. » Ac magis et magis turbulenta populi multitudo verbis importunis clamare excitatur, ac si Galli armati in portis urbis igne et ferro universa consumpturi adessent : « Nichil est ? ipsi jamque in nos « suorum mucronum cuspidem retorquent. »

134. Cum idem dux populum inexorabilem videret, concitum eorum furorem evitare et ad heroëm de Talbot infra castrum suam personam ab impendenti periculo ereptam conferre volens equ[u]m ascendit. Extimplo quidam civis lanifex gradarii lora apprehendit et equ[u]m sistit ambulantem. Dux vero infensus exclamat : « Vide « quid attentas, in principem sacrilegas manus ini- « ciens. » Ac inquit circumfuso multa in turba populo et tumultu ingravescente : « In tua persona nullam lesio- « nem patieris ; sed retentus manebis donec que petimus « nobis concesseris, nec nostre urbis eversionem nec « nostrorum liberorum exicium volumus expectare. » Tunc temporis dempsa caligo celum nebulosum sic obtegit (A) quod vix ab ethere terra secernitur, nec acres oculi prospectare [possunt] an Gallorum exercitus cominus assint an longius abirent. Ingenti tremore compulsus dux,

Var. : (A) A B *nebulorum obtegit.*

ne vulgi seditione coorta in ipsum ruente (1), gravissimi viri archipresulis persuaso (A) assentit quod vir elegans officialis et civis quidam, cognomine Ruffi, apud supremam Karoli majestatem celeres gressus maturarent. Nichil enim periculosius quam magne et potentis urbis in principem erigi, si non in solido amoris vinculo civium cum principe uniantur animi. Captata quidem opportunitate invitus illud decretum inire (B) cogetur quod turbulenta populi insolencia petit, aut vulgus ignobile, capto ferro, in dominum petita negantem inexorabili furore seviet. Idem officialis et civis, si rectum iter et tutum arripiant, ne barbari indignati eorum vite (C) insidientur, non abs re formidant; ideo consulti ad quemdam monacum leprosorum presbiterum ab urbe non longe rure commorantem secretius accedunt, qui antea pro reductione obsequio fideli et sollerti animo quamplurima nuncia hinc inde detulerat. Hic ferarum abdita cognoscens per nemorum devia nocte intempesta ad Pontis-Archam legatos conduxit; et quamprimum legatus accessit, vulgus innocuum super armis non ex odio, sed a preda sua defendendi gratia capitis inconsulto animo excusat. Dehinc fidissimos cives impensius optatum, hostibus exactis, Karoli regimen amplecti ostendit, et ob singularem tractatus componendi causam apud regiam celsitudinem, si eadem salvum conductum elargiatur, seu apud spectatissimos amplissimi consilii viros, cleri, nobilium, majorum, civium et etiam Anglorum legatos, populi concione fuisse conclusum, accessuros detexit. Hinc nuncius fidelissimus gravissimis verbis in

Var. : (A) A B *persuasa;* (B) A B *ire;* (C) A *vice.*

(1) Passage altéré; il faut ou sous-entendre un mot, *necaretur* par exemple, ou lire *ne vulgus seditione coorta in ipsum rueret.*

spem firmissimam lapsum suorum infortunii regis animum erexit, et ad meliora prosequenda quamplurimum excitavit. Fidicius unum animadvertit subsidium armorum ab Anglia in Northmaniam proxime transiturum ; quamobrem ante ejus accessum in hoc negocio propere exsequendo sollerti et exactissima diligencia opus erat ; et quam instanter petit, facile obtinet securitatem ad cives laturus. Sub inviolabili cujus protectione civitas, interna concepta leticia, fide et sapiencia spectatos viros in legationem preparat ; prius diserte ostenso barbaris urbem varia calamitate oppressam et ne exinanita, ut miserrime alias, famis anxietate pereat, ejus saluti consulere extrema necessitas urget. Anglici vero, prospectata voluntate civium sibi infesta, metu territi et libidine urbem retinendi, diversi inter se agitantur ; legatione enim petita populo concessa, urbem amittere summe verentur. Tandem commotio plebis formidolosa, hostibus arcto positis, vincit dominandi cupiditatem.

135. Igitur venerande auctoritatis archipresul et inquilini urbis excellentiores, necnon ex parte ducis de Sombresset transmissi quidam milicia insignita aliique sanguine preclari, ad Portum-Sancti-Audoeni supra Secanam, a Pontis-Archa leuca distantem, profecti sunt, et inibi consultissimos regis Francorum legatos, strenuum comitem Dunensem, clarumque heroem [de] Trainel, Guillermum Juvenalis, militem, Francie cancellarium, armisque instructum senescalum Pictavorum, et splendidam militum copiam speciosissimo bellorum ordine distinctam invenerunt. Utriusque regis prudentissimi legati super potentissime urbis compositione varium et diversum sermonem habuerunt. In diversam enim partem barbarorum et civium rapiuntur affectus ; incole ut urbis propere regi Francorum deditio fiat, et hostes ut non deda-

tur simulate et dolis studio suis intendunt. Postremo Rothomagus archipresul et optimi cives, immense abolitionis oblate magnitudine victi, luce Martis sequenti cum legatis regis Francorum ditioni fideliter seorsum ab Anglicis se tradituros urbem pacti sunt; lege tractatu apposita quod quicunque inquilinus in urbe et dyocesi moram eligens omnia possessa divina sive humana salva retinebit, recedens vero transfuga ad barbaros facultates secum apportabit.

136. Exinde legati regis Francorum ad Pontis-Archam, Anglici Rothomagum tendunt. Sed quia diei extremo ambaciatores Rothomagi venerunt, illo sero archipontifex populum alloqui, rem gestam relaturus, nequit; ceterum postera die Sabbati, decima octava Octobris, primo lucis exordio, idem archipresul opulentam regis Francorum affectionem, quam ad urbis utilitatem munificus gerit, et tractatum cum viris amplissimi consilii prolocutum succincte apud communem urbis edem populo reserat. Relata enim universo populo gratissima nec minus jocunda et Anglicis infesta et tristia fuerunt. Cives autem universi protestantur, cum clementissimo rege Francorum sincero mentis affectu veram et non simulatam pacem componere desiderant. Et ut res tam fecunda celeri effectui demandetur, majoris auctoritatis Anglorum consensum precibus instantes requirunt, quam aperte infensa et subdola caliditas annuere non inficiatur; verum iram accensam ut se dissimulando vindicet, tridui sibi dari petit inducias, ut quid in tam arduo negocio concludendum sit mature animadvertat. Non cruentum consilium sed crudelitatem exsequendi opportunitas deerat. Profecto sanguinolenta barbarorum intentio conclusum habuit universam urbem incendere, et omnes cives, nullo sexus et etatis discrimine, infra triduum ino-

pino ferro necare. Sed induciarum tempus anticipat Summe Bonitatis providencia, que juste bellantibus favere solet et perversis facultatem intercipit. Deinceps hostes apprime indignati a populi concione cedentes, pars in pontis arces, pars in validum castrum, pars in munitum palacium ab urbe seclusos suas vires recolligunt.

137. Extimplo gladiatorius furor civium sanguine dextras cruentari hanelans ferrum induit. Et ut per extrinsecum inimicorum gestum mentem accipiunt, cives consulti in adversam rabiem occissime salutaria arma capescunt; tabulatis vicos patentes transversis implicant, solaria (A) et excelsa loca saxis muniunt, Sabbati luce et nocte insompnes vigilias agunt. Valde enim infensi Anglici cives rationem petunt, ut eorum voluntatis dubii et incerti essent, quare tantam et adversus quos se muniendi operam adhibere compelluntur. Ac cives, velut barbarorum perverse intentionis ignari, respondent : « Ubique « laterum torvis hostibus confundimur; ideo gladios nos« tros renes accingi et invasoribus obstantem parari tute« lam contingit, ut si in urbem inimici nostre vite, « uxorum et fortunarum exploratores irrumpant, non (B) « veluti pecudes misera clade obruamur improvisi. »

138. Ac impigri animi cives et ardentis desiderii ad regem Francorum dubie noctis crepusculo celerem nuncium destinant, qui nascente aurora Pontis-Archam ingressus attentius suplex regem orat ut accelerato itinere Rothomagensibus in hostes confligentibus arma succurrentia ire jubeat, et in urbem magnanimi cives ipsum regem prospere triumphantem fideli obsequio introducent. Ac hora Dominice matutina, decima nona

Var. : (A) A C *salaria*; (B) A C *ut non*.

Octobris, gravissimo exorto tumultu in armis robusto et valido Marte, excelsa menia et munitissimas portarum arces contra barbaros atrocius repugnantes, strenue victores obtinent, eosque ab urbe dejectos in opidum, in palacium, in pontis turres fugant. Egregia enim humanissimorum civium virtus, non ut furor civilis et seditiosa rabies in vindicte flammam prosiliens, sed moderamine inculpate tutele pro bono urbis jure gentium in armis progressa, absque strage hominum infra amplissima urbis septa in ferocissimos hostes preclarissimum triumphum reportat.

CAPITULUM QUINTUM DECIMUM

Qualiter cognita ab urbe hostium expulsione, comes Dunensis, senescalus Pictavie et baillivus Ebroicus propere Rothomagum tendunt, et ictu caballi ejusdem baillivi crus frangitur, appulsoque locumtenenti cives urbis claves tradunt, quas Petro de Brezeyo, urbis capitaneo, recepto juramento, tradit. Postea turme bellorum apparato ordine militari civitatem intrant.

139. Ut cognita ab urbe hostium expugnatio fuit, sollertes comes Dunensis, senescalus Pictavie et ballivus Ebroicus non longe hospitati, admissis equis incedentes, ut civibus in hostes dimicantibus auxilium ferant, volucri cursu Rothomagum petunt; verum idem ballivus, qui propter vehementissimam itineris celeritatem, uti preclari belli gerendi ardentissimus erat, ocreas induere

ferreas omisit, in arcto equitum celerrime incedentium caballi ictu calcitrantis crus frangitur. Vir strenuus latentem animi quam corporis apertam lesionem gravius tulit, propterea quod cruris fractio rem arduam pro patria gerendam dimittere cogebat, cujus auctores eterne glorie et perennis fame hereditatem sibi et posteritati sua eximia virtute adipiscuntur. Hac ruptura armorum exercicii impotens turmam bellatorum a rege sibi creditam heroi de Malonido, ejus uxoris germano, ducendam tradidit, quamquam egerrime ideo rebus preclaris abesset, et apud Pontis-Archam curandus le[c]tica defertur.

140. Ad portam Marteville magnificus locumtenens comes ceterique bellorum duces cultu ornatissimo, visu hostibus formidabiles, civibus jocundas armatorum cohortes sistunt. Et reverenda cleri gravitas, splendidaque nobilium magnificentia et matura civium circumspectio, urbis claustra egresse, fronte hylari et animo leto claves urbis legatis offerunt; quas regio nomine acceptas prudentissimus locumtenens Petro de Breseio (A), strenuo militi, capitaneo a rege instituto, tradidit, et ab eodem fideli et sollerti studio custodiendi urbem sacramentum religionis exegit. Varium post sermonem cives confidentissimi omnibus una et cuilibet armatorum urbis amplissime liberum aditum offerunt; offerunt munifici penates atque refertas Bacho et Cerere penus; offerunt equis opima pabula. Ac locumtenens, uti moderatissimus erat, curialiter civibus gratulans liberalitatis ample oblationi temperate respondet : « Non ad nostrum, sed liberum urbis « arbitrium regis milites ejus claustra introeunt. Nemini « civium ingressum molestiam gravem afferre, sed in « hostes opitulari venimus. » Munifica civium voluntas

Var. : (A) C *Bresseyo.*

et modesta beneficii oblati acceptatio animi utriusque partis stabilem confidenciam ingessit. Deinceps ut cohortes composite armorum fulgore decorate biffrontem civibus admirandam et hostibus fortaliciis intrusis ferocem ostentarent, locumtenens, veteris discipline traditionibus imbutus, apparato militari ordine magnificum turmarum ad urbem ingressum illustrat.

141. Tum Petrus de Breseio (A), bello acerrimus, unius cohortis centum lancearum conductor, primus adit; adornataque pari forma heros de Malonido, cui turme ballivi Ebroici directio committitur, urbis claustra secundus ingressus est. Ceterisque armatis, velut in ipsorum mentem venit, civitatem intrandi et ab ipsa libera redeundi facultas patet. Cives enim erga regem benivoli curiali cum omni liberalitate arma sequentes domi recipiunt, et absque gravamine receptionis infeste sese continentes, introducti milites mutuam benignitatem, vicem hostibus impendunt. Et ut Anglici pontis custodes frontem armatorum leonino vultu ferociorem paratam cedem minantem viderunt, hac luce hora serotina perterriti turres invadibiles locumtenenti cedunt, quarum custodia fido domino de Harovilla tutanda deputatur.

Var. : (A) C *Bresseyo.*

CAPITULUM SEXTUM DECIMUM

Qualiter comperto urbem reductam inimicari opidani immoderata formidine territi Sancte-Katherine fortalicium locumtenenti reddunt; quibus recedentibus absque viatico occurrens rex Karolus ad Montem-Sancte-Katherine cum maximo exercitu parato profecturus, eorum inopie compaciens centum libras erogare jussit. Infra cujus abbaciam per aliquod tempus residens, super regimine urbis ad se de novo reducte multa et varia mature disponit.

142. Postquam opidani Montis sacratissime Katherine Rothomagum sue genti adversari compertum habent, formidine immoderata territi ne insultu obruantur, regio locumtenenti oblatum fortalicium submittunt, nichil fortunarum preter vitam ab eo paciscuntur; quos, ut sunt expulsi, idem locumtenens cuidam nuncio publico armorum ad Portum-Sancti-Audoeni ducendos deputat, ut inibi appulsi Secanam amnem transfretarent.

143. Interea providissimus rex Karolus, hujus deditionis inscius, omne tormentorum genus et usui tractuum necessarium ad infestandum, ut arbitrabatur, prescriptum fortalicium ocius (A) transvehi jussit. Et ut, cum rex piissimus ceptum iter ageret, in fronte barbaros expulsos obvios habuit, quibus inquit : « Manus continete ne quid « a vulgo accipere contingat, nisi quanti res erit justo « precio satisfeceritis. » Ac illi humi prostrati : « Nobis « pauperrimis nulla est pecunia qua viaticum tenuissi-

Var. : (A) A B *octitius.*

« mum empturi simus. » Quo audito, interna et pietate divina motus equum gradientem sistit, et hostium inopie miserans centum libras ipsis in puram elemosinam erogare fecit. Hostes vero, quod nunquam petere ausi fuissent, a piissimo rege beneficium accipiunt. O summam principis benignitatem, Patris rerum munificencie adequandam, que miserias omnium amplectitur, gratos et liberalitatis accepte immemores, habito nullo discrimine, nutrit! Tuorum hostium, qui tot dampnis et injuriis rem publicam et majestatem tuam indignissime afflixerunt, calamitati humanissimo affectu condoles et amplissimo beneficio subvenis, et provides, ne scelerati predones in vulgi facultates manus rapere assuetas laxent.

144. Apud Sancte-Katherine-Montem rex strenuissimus nocturnam quietem dies per aliquos moram elegit, et super regiminis dispositione urbis noviter redacte quid statuendum sit, quod est valde difficile et omni policia propter assueti regiminis mutationem periculosum, cum principibus et peritis maturius consultat. Nam dum nova instituta populo feruntur, ad recentia statuta et principum precepta observanda civium multitudo ex personarum diversitate et mox dissimilitudine collecta vix inducitur. Et quanto potentior urbs et majori populo conferta et diutius sub tyranno principe occupata existerit (1), eo astutior cautella et sagacius ingenium ad novi domini obedienciam novum vulgus retinendum eminet. Nec aliud beatius quam moderatum novi principis imperium, et in regiminis exordio a reductorum fortunis rectorum continencia in caritatis et fidei inviolate vinculo

(1) Le copiste avait d'abord écrit la forme régulière *exstiterit;* il a barré le mot et écrit à la suite *existerit*, qui, reproduite en d'autres endroits, paraît être la forme adoptée par l'auteur.

civium animos conciliabit; nec gravissimis tributis exasperanda sed humana benignitate mulcenda in primordio mutationis venit novitas.

CAPITULUM SEPTIMUM DECIMUM

Qualiter dux de Sombresset in extremo positus regem Karolum adit, suplex orans ut idem abolicione verbi indulta eidem duci et omnibus Angligenis uti concedat; quod tanquam injustum eidem denegat, indulgere affirmans nunquam ipsum ducem ceterosque Anglicos a fortaliciis se permictere recessuros donec Hanoflutum et cetera Caleti fortalicia per Anglicos occupata sibi restituerit. Et tandem infestissima obsidione compressi, fractis animis, sub certa forma promissionis et modo dedicionis, quinquaginta aureorum millibus Karolo solutis, pacto super fortaliciis restituendis interveniente. Et ob hoc heroe [de Talbot] in obsidem dato, a Rothomago a periculis eruti abcedunt, et in parte promissione non subsecuta, processu confecto, heros (A) *de Talbot prisonarius adjudicatur.*

145. Et cum dux Anglus de Sombresset tantum robur virtutis in ipsum protinus ruiturum et urbem ad suum principem reversam totis viribus Anglorum imperio adversari prospexit, immitem (B) Gallorum valitudinem formidans, superbum ab ausu temerario animum depressit, et cum serenissimo rege Karolo se locuturum supplex

Var. : (A) A *herox;* (B) A B *immittem.*

orat; quod immensa Karoli benignitas libenti animo concessit. Idem princeps Anglus a Rothomagi palacio per regios armorum nuncios secure ductus apud dedicatum sacratissime virgini Katherine Montem, in amplissimo presidentem suorum principum prelatorumque, inter quos urbis archipresul erat, quod sibi summe displicuit, et ceterorum prudentum, regem Karolum adit. Et post barbari ducis impensum reverencie regi cultum, quem humanissime et plus quam decet hostem Karolus recepit, Anglus immensa precum ope regem benignissimum exorat ut ipse dux cum familia, ditissimus auri totius Anglie, et heros de Talbot inter barbaros principes acerrimus, ceterique Anglia creti urbis fortaliciis inclusi, concessa civibus oblatione freti, tute abirent; quam velut injustam rex equissimus petitionem indulgere recusat.

146. « Profecto », inquit rex, « obstinata vestra pertinacia tractatum civibus initum et abolitionem indultam, dum fas fuit acceptare, et urbis fortalicia nostre ditioni reddere, aspernata est. Ymo in quantum vestra invaluit crudelitas, armis sceleratis impugnavit ut benivoli in nostram majestatem cives concessionem seu formam indulti beneficii gratam non haberent, et non ut valvas urbis expeditas nostris principibus reserarent; et hodiernum in diem nostrum palacium et castrum vestra protervia que Gallorum invictam manum, si juberem, evadere non posset, nobis egre gerentibus occupat. Quove ausu, quave fronte vestra rogatio postulat nostram auctoritatem, pertinaci animo et sanguinolento ferro beneficio abolitionis impugnato, uti concessuram? Principis enim indulgencia, quam quis viribus efferatis impedire nisus est, jure nullo, ratione nulla, gaudere meretur. Dum tractatus abolitionis

« vestras personas, vestras facultates salvas amplecti « posset, in ipsum ferocitas Anglica furentibus armis « insanivit, et postquam ambe indissolubili laqueo irre- « tite, preces inanes petunt ut saluti domite crudelitatis « consulatur. O quam absurdum in abolitionis tractatu « cruentum bellum excitare, et in cruento bello excitato « abolitionis petere auxilium! Postquam fractio tractatus « violati personas et res comprehendere jus non est, « incassum a torvis ejus oppugnatoribus imploratur « beneficium. Hoc propositum animo fixum gerimus, « nullum vestrum a palacio et castro dimittere huc illuc « recessurum, donec Harofluctum, necnon Honofluctum « et singula Caleti fortalicia, per Anglie regem usurpata, « vestra pertinacia armis perdomita nostre majestati res- « tauraverit. »

147. Et ut dux Anglus stabilem regis magnanimi sententiam nullis precibus flectendam intellexit, ultra petita prosequi non audet. Obtenta enim recessus licencia, per illustriores comites de Augo, de Claromonte, eumdem barbarum ducem Karolus rex equi amantissimus securum in palacium reduci fecit. Et dum per urbem transitum ageret, populum hylari vultu Albam Crucem passim ferentem tristi corde et torvis oculis circumspexit, ac universam urbis faciem suo imperio adversam et in Anglorum exicium inflammatum animadvertit. Ob hoc nimirum furoris impetum Gallorum admodum extimuit.

148. Exinde veluti rex urbis expeditioni invigilans ducis inverecunda petitione lacessitus instantissimum fieri assultum imperat, acerrimus bellorum vigor circumvallans muro herens appropinquat, et ab infra ferventissima civium animositas se custodem inibi exitum pugnaturam objectat. Ingentes enim terre scissuras et aggeres

[illegible] circumquaque effodi, et tormenta [illegible] notura, cubili [illegible] Karolus iacet. Et cum para- [illegible] ferro et flamme artificis indi- [illegible] in moribus videretur, in quo [illegible] victualium copia erat, nec [illegible] cum Hyrcano per aerem volatu [illegible] animos bellicus furor [illegible].

[illegible] heros de [illegible] et subsidii [illegible] consilio super deditionis [illegible] facturos supplices ob- [illegible] hinc inde [illegible] dierum duodecim [illegible] belligerantes Anglici assen- [illegible] Talbot, asperrimus bellorum [illegible] et summe dilectus, pro [illegible] quod tamen postremo [illegible] salutis profugium an- [illegible] quamquam Karolus, rex piissi- [illegible] iuvenem de Sombresset, [illegible] quisque liberos ceteros- [illegible] vinculis captivos [illegible] suorumque com- [illegible] carcere coarctare, ut [illegible] indignum arbitra- [illegible] in palacio [illegible] et fetore [illegible] liberum [illegible] ac alii ob- [illegible] quemcumque [illegible] libuerit, securi pro-

fi[ci]sci valeant, hoc pactis inserto, quod dux Karolo regi forma sollemni stipulanti ab obsidionis compede relaxatus, quinquaginta scutorum millia, et quidquid justo titulo cuilibet ipse dux et sui stipendiarii obnoxii debent; et cum hoc Archarum, Monasterii-Villaris, Insule-Bone, Honnofluctus et Tancarville fortalicia redditurum promisit. Et ut stabilior securitas promissis inesset, cyrographum proprio sigillo roboratum et heroem de Talbot in vadem concedit; et pro ere civibus credito, comitis de Aurimonte filius, heros de Bequegny (A), et ex domino de Ros et ducissa de Sombresset primogenitus, atque Thome Gouel (B) Cesarisburgi natus, obsides Rothomagi detinentur. Hoc acto, dux, non absque gravi gemitu et lacrimis fluentibus ab urbe insigniori cedens, ceterique Anglici Harofluctum, exinde Cadomum proficiscuntur. Auctoritate vero ducis delegata freti, Thomas Hou, miles, et Fulco Heton, Angligene, pacta fortalicia regi Francorum restaurari procurant. Solus magister Curson temerarius promissionem irritat; nam capitaneus instanti precepto requisitus Honofluctum dedere contempnit, et pactione ex integro non adimpleta, heros de Talbot obses, processu legitime confecto, regi Karolo prisonarius adjudicatur.

Var. : (A) B *Begnegny*; (B) B *Gauel.*

tam in urbe quam rure circumquaque effodi, et tormenta hostium animos et palacii fundamentum motura, cubili opportuno adaptari impigre Karolus facit. Et cum paratissimus bellorum insultus ferro et fulmine fatificis indilate palacium petiturus ab hostibus videretur, in quo maxima hostium et rarissima victualium copia erat, nec armis, nec fuga, nec nisi cum Hycaro per aerem volatu salvi elabi poterant, fractos hostium animos bellicus furor relinquit.

149. Cum igitur pretextus dux barbarus et heros de Talbot in extremum agitati, spei defensionis et subsidii extorres, cum illustrissimi regis consilio super deditionis tractatu se velle compositionem habituros supplices obtestantur, hac de causa bellorum inducias hinc inde annui placet, que de luce in lucem dierum duodecim intervallo prorogantur. Ideo belligerantes Anglici assentire recusant quod heros de Talbot, asperrimus bellorum ductor, a suis valde metuendus et summe dilectus, pro conventis obses regi traderetur; quod tamen postremo dura obsidione attriti ob ultimum salutis profugium annuere compelluntur. Et quamquam Karolus, rex piissimus, incredibili armorum potencia ducem de Sombresset, auro locupletissimum, uxorem, ejusque liberos ceterosque Angligenas fortaliciis circumventos vinculis captivos constringere posset, capti tamen ducis suorumque commilitonum libertatem compedibus et carcere coarctare, ut aurum extorqueat, principe magnifico indignum arbitrabatur. Hac pactione humanissima hostibus in palacio tanta compressione coacervatis, fecequе equorum et fetore obvolutis quod vix respirant, et castro intercluso liberum aditum reserare censet, ut dux ipse liberique et alii obsessi, cum suis amplissimis fortunis, ad quemcumque partis adverse locum quem optare libuerit, securi pro-

CAPITULUM OCTAVUM DECIMUM

Qualiter dux Britanie, maximo suorum nobilium exercitu comparato, suam villam Fulgeris Francisco Arragoni decem milia solvendo, contagione pestifera coactus, composicione facta, obsessam recuperavit.

150. Antea, et dum in Northmania dux strenuissimus bellum gereret, ejus germanus Petrus de Britania ad restringendum Fulgeris opidanorum eruptionem, qui crebris incursionibus, rebus tyrannide ablatis et colonis excruciatis, circumvicinos agros vastabant, arcem armatorum plenam erexit. Exinde, bello incepto in Northmania infecto, adversus hostes fratri opitulaturus Franciscus, clarissimus Britonum dux, nobilitate totius ducatus collecta, minus tamen in armis instructa, Fulgeris villam et castrum circumcingit; in que, propter saxeas colles paulisper surgentes, machine muros fulminature vix adaptari possunt, nec invasoribus facilis patet accessus. Profecto per vallem inter montes extensam torrens quidam unum stannum implet, ville introitum muniens; exinde labens alta castri fossata inundat. Hoc in rigido montis ascensu unicum vicum continens, hoc rupe precisa construitur; ex camporum parte villa dempsis et menibus solidis firmata tormentorum jactum inconcussa retrudit. Nec satis immanes machine ad conterendum tam solidam murorum constructuram ducis obsidionem adjuvabant. Tamen ex fulminibus, qualiacumque (A) presto habuit, sepius ite-

Var. : (A) A B *qualicumque.*

ratis menia conquatit. Cohortes armatorum quedam infra fossarum aggeres stationem hospitalem iniciunt; et ex adverso conflictu opidani Britonum insultus magna vi et exacta diligencia jaculis vibratis obtorquent.

151. Verum alius hostis capitalior, pestifer aer, partim ex obsidionis immundicia corruptus, Britonum exercitum letaliter infestat; et plures contagiosa labe infecti, subito interitu animas ex[ha]lant. Inter quos nobilis heros Leonis, comitis de Rohan primogenitus, et familiarissimus ducis pincerna (A), mense pocula prelibans, venenoso contagio repente expirant. Unde tanta plaga nullo remedio nisi corrupti loci properata fuga curanda exercitum invasum dux et proceres preterriti obstupuerunt. Tum perplexius vel Fulgeris expeditione infecta, vel cum hoste partim ad inimicorum libitum compositionem tractare anxius compellitur.

152. Demum tanto malo circumventus satius arbitratur a crudis predonibus suam villam redimere quam in publicam patrie direptionem feris predonibus cumulatam dimittere. Eapropter, ut a pestilencia suorum militum salutem preservet et futuris ducatus incommodis consulat, dux proceribus humiliter obsecratus Arragoni intruso se daturum decem scutorum millia policetur. Et eo auro soluto, Franciscus duci villam et castrum tradit; et opidani in vim deditionis equos, arma et fardellum preciosis refertum secum afferunt.

153. Et dum compositio ageretur a preclaris militibus, pretexto Francisco improperatur quod absque precepto et principis auctoritate, non ut strenuus miles ducis belli jussibus obsequens, sed ut insignis latrunculus, predonica rapiendi libidine ductus, fractis treugis villam Ful-

Var. : (A) A *piscerna*.

geris furtim surreptam funditus expillasse non formidavit; ideo omni honore et militari dignitate indignus, illustrium virorum monumentis non collocari, sed inscriptus matricula deleri ut infamis meretur. Ac ille inquit : « Nunquam tanta insania me secordem impu« lisset tam potentem ducatum solum invasisse, ac per« sone et meorum commilitonum salutem, ferocissi« mam inter gentem mortis periculis objectasse, nisi dux « gubernacula patrie tenens et supremi domini regis con« siliarii armis Fulgeris pagum me invasurum jussis« sent. Nec in hac villa vestros insultus feroces expecta« turus mansissem, nisi rex Anglie, patefactam captio« nem ratam habens, urgenti obsidione michi militare « subsidium policitus fuisset. Non verbo loquentis, sed « majorum meorum scriptis credite. » Et hic exsecutorias jussus ducis de Sombresset, magno regis Anglie sigillo roboratas, et ejusdem regis ratihabitionis facti exsecuti et succursus promissi litteras auctenticas ostendit.

CAPITULUM NONUM DECIMUM

De ingressu regis Karoli in suam urbem Rothomagi, et de immenso gloriosi triumphi honore per clerum et cives magnifice impenso.

154. Rex Cristianissimus Karolus religiosissima veneratione in cenobio sacratissime virginis Katherine totius celestis urbis civium supernorum universalem celebrat sollemnitatem, ac Summo radianti Trinitate Domino pro felicibus belli (h)auspiciis divinitus obtentis devotissi-

mas agit gracias; non sibi certanti preclare victorie honorem, ceterum invictissime Dei virtuti asscribens, a cujus supercelesti imperio, et non ab altero, suum regnum, peculiare Cristi patrimonium, perpetuo inviolate orthodoxe fidei cultu tenere profitetur, subsidio e celo lapsuro, ejus reliqui usurpati partem fractis hostium viribus, integritatem recuperaturus. Exactis enim ab insigni Rothomagi urbe barbaris, regiam majestatem egregie triumphantem ac victricem ejus miliciam urbem ingressuram, a qua plus quam annis triginta exul dejecta fuit, preciosissimis et arte laboratis indumentis, et decoris armis ornatam, refulgere decebat. Tum impensiori honorificencia, tum fideliori obsequio, tum majori formidine in posterum a civibus recepta excolenda erit; ac locupletissimo apparatu magnificos cives urbem decorare et ingresso principi thesauros copiosius effundere non inutile fuit. Tum exteriori divite cultu interior locuples animorum fidelitas, quam ad prosperos regis successus jugiter gerunt, ostenditur. Tum opulentis elargitis muneribus principis captatur benivolentia, que veram principum ad populum caritatem comparat, quo nichil utilius.

155. Proinde Karolus, clarissimus triumphator, arma nitidissima superindutus, dextrario coopertura vil[l]i prefulgentibus liliis intexti speciosissime falerato incedens, Rothomagum, urbem fidelissimam, commerciis populoque refertam, ingenti cum leticia hyemalis sanctissimi Martini vigilia ingreditur, illustrissimo Ciculorum rege dextra et magnifico Cenomanensi comite, ejus germano, leva, armorum fulgore aureisque bullis decoratis equitantibus. Ac ceteri principes, proceres, et verendus militum aliorumque armatorum exercitus, ordine constructo distinctus, multa falerarum locuplete

tum varietate, quidam caballis, uno cristo purpureoque velamine, alii altero auri argentique fabricatura, arte mira expolita, comptis vecti, promiscue antecedunt et honorifice regis celsitudinem sequntur. Illic gallearum conos cristis aureisque vi[l]lis filorum tremulis lucidioribus sole, ardere videres; illic armorum precones stematibus regum, ducum, procerum nobiliumque distinctione colorum et rerum ymaginum artificiose celatis, atque buccines opulente redimitos tam amplam illustrium virorum adesse multitudinem representare et tam concinem variorum classicorum armoniam concrepare mirareris. Ac insignem regie majestatis apicem tyara purpurea venuste trabeatum, quoddam pallium aureorum splendore liliorum illustratum, magnificis a quatuor civibus gravi et reverenti incessu delatum obnubit; et in celeberrimo regie celsitudinis aspectu, miles clarus, Guillermus Juvenalis, ex patricio antique case Urcinorum genere extractus, Francie cancellarius, regali pretexta decoratus precedit. Ac quidem gradarius niveus freno ductus antecedens, liliis pallio intextis relucens, in quadam non ampla cista, verum divite amictu circumdata, regalia sigilla precipua vectura defert. Cetera vero imper[i]alia excellentissimi triumphi insignia non desunt. Amplissimo enim suorum principum ac nobilium medio cetu, gravi et splendido incessu progrediens, regia majestas, quo iter agit, vicos tapetibus extraneis et locupletibus auleis, pulcherrimisque superlectilibus honestissime velatos implet. Summe desiderato regis adventu, triduo omni opere remisso, universa urbis facies exhilarata plausu diverso summe jocundatur. Turbe enim impuberum innocentiumque letitantes, nullo mortalium impellente, ut Cristus adesset, laxa et voce canora nova regis novi ingressus cantica clamando « Noel! » concinunt;

leta pubertas varia ludicra tante majestatis presencia non indigna seriose interserit. Hoc unum prepolitum cervi volantis ficticium simulacrum, ut ars cum natura quantum contendere posset vivum crederes, ab ethere delabens coronam regie majestati flexis genibus reverenter offert. Alii vero cives evo maturiores, uniformi divite et perpulchro distincti habitu, regie majestati supplices occurrunt, humilimum reverentie cultum impendentes. Hoc acto, devotissimi cives traditione clavium urbis opulentissime regem quietum constituunt possessorem, quas manu grata acceptas, Pictavorum senescalo, urbis capitaneo, egregio militi, regendas committit.

156. Vir prestantissimus Rothomagi archipresul, nonnulli suffraganei episcopi, abbates, ac viri ecclesiastici, varia dignitate prediti, magno in numero, matura cum veneratione regis celsitudini obviant; obsequio enim more gravi libato honoris ipsam suscepturus archipresul ad matricem ecclesiam regredi properat. Exinde universus urbis clerus cum devota celebritate celestibus hymnis exultans ac sacras sanctorum reliquias, cruces Cristi triumphantis insignia deferens, religiose obviam procedit. Et cum ad templum, dulci armonia diversorum canticorum non intermissa, perventum fuerit, pedestrem regiam majestatem infra sacratissime Virginis Marie basilicam idem ecclesie princeps, archipresul, tamen super privilegiis sacrosanctis ecclesiis indultis illibate in posterum observandis juramento prius prestito, honorifice introduxit. Votis ardentibus et voce jocunda cleri universitas Deum, qui sue pacis e cœlo lapse principem restituit, immortalem certatim laudant. Expulsis enim hostibus sub Karolee majestatis ditione, plena securitate, urbe potita, summe Omnipotenti cives gratulantur. Nam trepidi et soliciti de expulsionis ambiguo hostium eventu,

nunc rege suscepto incredibili perfusi gaudio fidelium letantur animi; nunc mixtis ingenti cum leticia lacrimis nuper anxio luctu confecti, modo tersi civium rident oculi. Et ut etheris serenitas jocunditatis inferioris non sit expers, campane, una certans superare aliam, plausu inaudito longe late summum exhylarant aerem. Sacrificio laudum et devote orationis celebrato, regia majestas in archiepiscopi palacium sese hospitandam confert.

157. Postero Martis die ab universitate urbis, cleri et civium, ut Deo regracietur, sollemnes processiones devotissimo cultu celebrantur. Ubique faces publice accense tanto fulgore corruscant quod nedum universam urbis faciem, sed etiam prata, agros et montes circumquaque vicinos solis non impari claritate perfundunt. Illic cytharedus, illic tympanistra ab omni solitudine armonia melliflua vacuas replet aures, jocundos pariter et animos. Ubique civitas venuste exultans ludos et choreas agit. Ubique mense pro patulo vesci volentibus exposite variis epularum ferculis lautissime cumulantur. Ubique varia generosi Bachi effunduntur pocula. Et quamquam honor regius et sublimis dignitatis altitudo fuit clara, semper fuit singulari studio veneranda. Attamen hec omnia Northmanis sunt illustriora, et nunc restituta ardentiori obsequio cariora complectuntur, quam si atris bellorum nebulis obscurata et hostili violencia substracta nunquam fuissent. Utique recuperata bona valitudo plus voluptatis affert et hiis jocundior est qui e gravi morbo sani resipiscunt, quam qui nunquam diurna egritudine vexati languerunt; nec aliter regia majestas visu Normanorum sublata carendo desiderata magis quam oculis conspecta, assidue fruendo delectat.

158. Sequenti vero luce locupletissimo apparatu regia majestas solio sublimata sese devotissimo populo palam

exhibuit, cui magnifici cives opulenta et maxima auri munera ac multa officiariis largiuntur. Deinceps clerus et omnis urbis status ad regiam majestatem singulas orationes, verborum venustate redimitas et sentenciarum gravitate fecundas, distinctas habuerunt. Et quamquam diverso stilo confecte fuerint, verumptatem una earum mens regiam majestatem accuratius ex[h]ortari intendit, ut non sollerti hominum industria et instructa militum fortitudine presumat, ceterum e celesti Numine perpulchrum palme triumphum consecuta profiteatur. Nempe mortales alterius imperii, cupida dominandi libidine, vel aliqua animi egritudine impulsi, ferro acerbissima inter se prelia agunt; verum Deus armipotens exercituum Dominus et bellatorum director, cui quando et quotiens (A) vult, magna cum gloria et summo honore, insperatam victoriam confert. Immensum enim et infinitum est quod hec civitas obnoxia Deo immortali debet, qui, preter omnium hominum spem, urbi sub asperrimo servitutis jugo trite majestatem equi amatricem et majestati expulse ab hostibus liberam absque cruore effuso et sine prede exicio reddidit. Hec preclara victoria, hic excellens triumphus, non ab humanis viribus, sed e celi virtute lapsus, hanc locupletat, hanc decorat urbem. Profecto tanta Dei beneficiorum magnitudo in vos cives relucet, quod non solum omnis calamitatis tenebras detersisse, verum etiam celesti tropheo et majestatis splendore assistentis pristinum decorem et dignitatem auxisse et illustrasse videatur. Quales igitur graciarum actiones ei referentur, qui sua piissima miseratione primo corda civium hostili potestate subactorum ad suum supremum principem ab urbe dejectum convertit! Exinde flamma

Var. : (A) A B *totiens;* C d'abord *totiens*, puis par correction *quotiens*.

in amorem regie majestatis accendens desiderium, tantam animi audaciam, tantam corporis fortitudinem infudit, quod cives inter hostium pressuras in ferocissimos et armis exercitatissimos satellites pro domino absente ferrum assumunt, ac ipsos intrusos propulsando absque strage intra menium claustra humanissimo triumpho potiuntur. Zelo enim rei publice, si pro belli gloria victorum animos insolencia non extollat, si in hostes expellendos (A) felix inceptus armorum labor perseveret, divina equidem Summi perseverabunt beneficia, qui nichil frustra incepit, nec opus novit imperfectum, nec recte certantibus pro re publica substrahit auxilium, sed justo bello virilius instantes facit palmarios. Hunc et reliquum sudorem regiam majestatem, divine virtutis imitatricem, equo animo cives debere pati ostentant, dum pro tam necessaria, tam salutari belli expeditione, et pro consummata victoria obtinenda certet, que captivis libertatem, profugis patriam, et omnibus clade bellorum afflictis pacem alatura sit. Et e contra si remissus ignave armorum labor prospere incedens acrius non prosequatur, cives ostendunt Deum pusillanimitati et secordie infestum et affore iratum; et ubi sedulo justis armis belligerantibus secunde aspiraret, ignavis et remissis sors belli indignata adversatur, ac celesti indignatione concitus furor barbarorum letifer a castris occupatis prorumpens, ira lee cui fetus auffertur ferocior raptu, flamma, ferro in patriam a sua ditione defectam seviet. Et nedum vastabit agros, comburet domos, rapiet armenta, colonos necabit, conflagrabit templa, verum utriusque sexus non solum adultos, sed impuberes materno ubere lactentes, uti obviabit, sanguinolentus gladius confodiet, et inhu-

Var. : (A) A *excellendos.*

mana puerorum strage in miserrimos parentes funestus tyrannus sese vindicabit. Ne igitur ista nephanda per sceleratissimos tyrannos patrie incendio et cruore hominum exhausto efferatam crudelitatem saturantes, in ultimum reipublice exterminium perpetrentur (A), bello accelerato intercludendum est. Ad hanc rem tam salutarem regie majestati cives arma et thesauros offerunt (1).

CAPITULUM VICESIMUM

Qualiter rex Karolus ab urbe recedens in villa Monastarii-Villaris profectus, per comites Dunensem, de Claromonte, de Ango, et Nivernensem, Harofluctum obsederi jussit, ac mille et quingentis armis exercitatis depulsis, asperrima obsidione mense Januario constructa, in sui obedienciam recepit. Qualiter illa tempestate comes de Fuscis, castrum Jacencium obsidens, tria millia Anglorum opidanis succur[r]encia, mille et ducentis interfectis, strenue devicit, exinde ipsum castrum et plusquam quindecim alia fortalicia in patria Beone sub regis Karoli imperio reduxit.

159. Post tam jocundam et magnificam receptionem, rebus in urbe compositis, preclarus triumphator ab hac recedens, armis insuper ornatus, veste auro micante ad Monasterium-Villare proficiscitur, non longe a Harofluctus fortalicio. Illustres enim omnes principes regiam majestatem comitantes maximo luxu et precioso cultu

Var. : (A) A B *perpetrantur*.

(1) Dans le ms. A, ce chapitre finit dans le haut du f. 69 v°; le reste de la page et le f. 70 r° et v° sont demeurés blancs.

incedebant, et precipue exquisito et divite apparatu comes Sancti-Pauli, cujus superba equi falera non minori precio valere quam viginti scutorum auri millia estimabatur. Ubi rex, cum ingenti honorificencia receptus fuerit, per inclitos Dunensem, de Augo, de Claromonte, Nivernensem, ceterosque bellorum duces, Harofluctum properatis armis obsideri jubet; quamquam temporis hyberni sevicia et loci asperitate, insuper barbarorum multitudine tutatum, nec circumcingi nec capi vulgo arbitrabatur.

160. Nempe hoc fortalicium, natura et arte munitissimum, in amplo Secane amnis nare aquas in pelagus vomenti constructum, invasoribus non facilem permittit accessum; quod tunc mille et quingenti utique viri armis instructi atrociter defendebant. Tunc frigore Decembris seviente, nunc glacie trita, nunc grandine globata, nunc crebro nimbo insurgenti, nec ulla arbor, nec domus ulla obsidentes tegens maritimorum (A) rabiem ventorum refrenabat. Et si milites Galli speluncas struerent, ut se ab Aquilonis turbine et hostium telis protegerent, fere in qualibet fovea maris unda habunde scaturiebat. Ceterum obsidentium magnanimitas et firma spes preclarum consequendi triumphum aspera omnia facile vincit. Tum alacres Galli frigorum pacientes tuguria parvo stramine aut tenui mirica cooperta erigunt; tum evacuant antra, quibus aliquando se recipiunt; tum terre scissuras et iter subterreneum in murorum aggerem exiturum componunt. Postremo crebris fulminibus repetita tormentorum improbitas fortalicii menia et clausorum animos a pede in verticem tabefactat. Et deinceps mille et quingenti barbarorum ad hostium repulsionem

Var. : (A) A *maritinorum*.

asperrime pugnantes, obsidionis acerbitate victi, Francorum regi Harofluctum aperiunt; et retenta rerum facultate et corporibus a captivitate exemptis, pars hostium in Northmania moratur, pars in Angliam navigat. Harofluctus enim reductione Karolus rex fortalicii prevalidi et portus maris ad classem Anglie recipiendum late patentis, non impari gaudio afficitur quam rex Henricus hostis, illo fera obsidione subacto, in Nordmaniam diripiendam primum ingressum ministranti elatius exiliit. Et ne frigore Januario inherti acer bellatorum vigor tepescat, acies versus Rothomagum retorquet, ut ad cetera castra ferro vendicanda citra Secanam transducat; et se rex Karolus in abbaciam de Jumieges, a Rothomago quinque leucis distantem, confert.

161. Ista hyberna tempestate, nedum in Nordmania, verum in Vasconia, aspera bella geruntur. Nempe armipotens comes de Fuccis in belli expeditionem advocat, castrum Jacentium, fortissimum ab urbe Beona quatuor leucis situm, valida obsidione circumvallat. Hoc enim Anglicis comperto, tria pugnatorum millia impigre arma sumunt, quorum Navarre connestabularius, Beone major et Georgius Solithon, intempesta nocte, supra quoddam flumen Beonam labens se in naves concedunt; et ut obsessis navigio succurrant, non longe a castro Gallis circumdato terra potiuntur. Ceterum in Anglorum descensus parum feliciter processit. Nam per exploratores patefacto eorum eventu, Galli obsessores in appulsos hostes tam acri et aspero congressu ex improviso ruunt, quod primo conflictu Anglici fusi Gallis campum cedunt, et immoderata formidine perculsi feda fuga naves recuperant; sed non omnes. Profecto mille Anglorum et ducenti, tam cesi quam capti, ad suos non revertuntur. Et cum Georgius Solithon suorum lapsum irreparabilem

videret, arbitrans ne rates intrare posset, in eminenti periculo consultus, audacia non improbanda per medium obsidionis conserte ruens, cum sexaginta lanceis cuspide pretenta infra castri antemurale tunc temporis se salvum fecit. Postea secum animadvertens a suis casu adverso pavefactis (A) nullum subsidium consecuturum, cum sua turma in nocte silenti recessit, urbem Beonam, ut estimabat, recuperaturus. Porro bastardus de Fuccis hunc recessum detectum habuit. Deinceps prede avidus cum omni impetu equitans Georgium assequitur, et tunc assecutum et majorem suorum partem vinculis astrinxit. Postera enim luce obsessum castrum et plusquam quindecim alia fortalicia terrore subjugata regis Francorum obedientiam cognoscunt. Et exinde victor comes de Fuccis et sui exercitus proprios lares repetunt.

CAPITULUM PRIMUM ET VICESIMUM

Qualiter Galli bellorum principes, rigente frigoris yemalis algore, acerbissima obsidione Honoflutum per magistrum Cursonem asperrime deffensum, prevalidum fortalicium marinum, egregie expugnant.

162. Et cum prospera armorum fortuna bellanti petitum serenet iter, nichil principi utilius quam rejecta molicie et animi torpore inceptam acriori studio prosequi expeditionem, nec molesta algoris intemperie hanc interrumpere, si reipublice impendens urgeat necessitas. Nam duo fortalicia in maris situ priscorum providencia

Var. : (A) A B C *pavefactus.*

constructa, natura et artificio munitissima, ad quem Secana defluit, Harofluctus ex latere Caleti et Honofluctus ex altero, ut buccam Secane duarum leucarum hyantem ab ingressu hostili tutantur, ne classis inimica in Rothomagi urbem subducatur. Hostibus vero a Harofluctu exactis, nichilominus Honnofluctus navalem latum et securum inimicis descensum ministrat, et gravi impedimento est ne victualium et mercaturarum vectura Rothomagum potentem urbem navigio feratur. Quamobrem, usu publico impellente, rex Karolus providis bellorum ducibus consultus, perutile et necessarium censuit Honnofluctum crebra et infesta obsidionis acerbitate ab hostibus eripiendum, antequam pelagus turbulentum, sedata hyemali tempestate, Anglicis navigandi in altum afferat securitatem. Et ecce alacres bellatorum principes jussi, algore hyberno contempto et sevientis Boree despecta inclemencia, decima septima Januarii, acerrimo insultu Honnofluctum circumveniunt. Et ex adverso magister Curson, ferox Anglus et pervigil castri custos, primum Gallorum impetum ausu inconsulto temerarie aspernatur. Nam acrius invasoribus occurrens, priusquam tricentorum manus ferocium presidio insultus fortalicium alta pelagi unda circumdatum, infra cujus septum naves succursum valent afferre, velut inexpugnabile in omnes tenere et tutari arbitratur. Ceterum ineluctabile tormentorum fulmen elatum ejus animum domat. Mirabile enim! in (s)cemento et calce compactum a fundamento in propugnacula tremefacit. Horrenda fulgura per incredibilem aerem clausis terrorem mortis exanguem inferunt. Galli equidem obsessores terre scissura fossa admodum et muris hostilibus approximant. Postremo (A) cum ipse magister Curson, undique mortifere petitus, intolerabilem (B)

Var. : (A) A *Prostremo*; (B) A C *intolerabile.*

plusquam credibile est Gallorum sentiret obsidionem, ingenti metu ab audacia depressus Honnofluctum componit; si non Anglici armis invasi in Gallos certa luce campo publico dimicent, Honnofluctum decima octava Februarii Francorum regidaturum jurata fide se astringit, et ad firmiorem securitatem tradit obsides.

163. Interea fortalicium tam munitum facilem et satis proximum portum Anglicis ministrans, Galli, nunquam absque duro conflictu hostes a sua ditione eripi permissuros arbitrantes, locum ad pugnam ydoneum preparant. Sed dux de Sombresset, quamquam amissionem Honnofluctus sue parti admodum perniciosam putaret, attamen obsessis nullum succursum tulit. Nam etsi burgensibus Cadomum liberum et Anglicis destitutum relinqueret, ipsius obedienciam se perditurum estimabat, et eum redeuntem non recipi arbitratur. Et ob hoc prescriptus magister Curson, licet deditionem egro animo ferret, pacta luce Honnofluctum Gallis relinquit.

164. In obsidione Reginaldus Guillermus de Bourgueignem, Montis-Argi ballivus, colubrine fulmine extremum clausit diem; cujus transitum quamplurimi tristi animo tulerunt; nam quamvis rapax vir, tamen acerrimus pro regni tuitione in hostes quamplurima egregia gessit.

CAPITULUM VICESIMUM SECUNDUM

Qualiter dux Allanconii dira obsidione, hoste in campo publico constanti animo ad conflictum publicum expectato, a municipio et castro Bellismi (A) *ducentos Anglos sua castrensia afferentes expulit. Et qualiter Andreas Trolot* (B) *et Jaquelinus Wasquin, duo omnium crudelissimi quos nutrit Normania, pro redempcione Montisfortis, sui capitanei, decem mil[l]ia scutorum inpendentes et regi Karolo Freneacum fera obsidione circumdatum reddunt.*

165. Et dum circa maris littus ista prelia aguntur, versus meridiem illustris dux Allanconii belligerans, municipium et Bellismi castrum undique obsessum molestat acerbe. Postremo opidani mole insultus oppressi, ambo duci cedere promittunt, si dux ab Anglicis campo publico [non] expugnaretur. Et quamquam pauca bellatorum multitudo sibi adesset, dux magnanimus conflictum exspectaturus in campo arma indutus stationem constantem sistit, donec hora pugne deditioni inserta foret elapsa. Hec constancia ingenti audacie et honori summo duci ascribitur. Ducentis enim barbaris sub Matheo Goth belligerantibus cum castrensi peculio abeuntibus, suam Bellismi villam et castrum idem dux letitans recepit.

166. Diebus enim illis defluentibus, serenissimus rex Karolus, in abbacia de Gretain hospes, a quatuor milliaribus fortalicio Honnofluctus vicina, recedens Essiacum

Var. : (A) A B C *Bellissimi*; (B) B *Trollot.*

petit. Et per suos exercitatissimos bellorum duces Fresneacum dura obsidione molestari jubet; cujus Andreas Trolot et Jaquelinus Wasquin, duo superbissimi et teterrimi omnium predam sequentium quos sustinet Nordmania, insompnem tutandi curam cum quingentis truculentissimis satellitibus gerunt. Et dum acies Gallorum ipsos invasuras adesse sentiunt, a tanta furia ebuliente feroces tabescunt animi; et non manu, sed tali deditionis pacto se salvos faciunt, quod cum opidi restitutione decem auri scutorum millia Gallis impendunt, et eorum capitaneus Montisfortis, magnusque rege Anglico Nordmanie thesaurarius in Pontulomaris captus a carceribus extractus liberatur, et ipsi opidani a compedibus obsidionis eruti, vicesima secunda Marcii, Falesiam et Cadomum tristes abeunt.

INCIPIT LIBER QUARTUS

CAPITULUM PRIMUM

De succursu quinque mil[l]ium pugnatorum ab Anglia transmisso in quodam portu juxta Cesaris-Burgum appulso. Qualiter Thomas Kyriel succursus director et alii opidorum Constantini custodes, non obstante ducis de Sombresset mandato, se primo fortalicia a Gallis occupata recuperaturos concludunt. Et qualiter die Veneris ante in Ramis Palmarum dominica Vallonias obsidere (A) *et populum Cristi Passionis cultorem infestare et templa depredari cepit.*

167. Cum prosperis bellorum successibus incensa Gallorum strenuitas nullo estivo ardore, nullo frigore hyberno, nulla mortis formidine reprimenda, armis infestissimis coarctaret (1), ut ad invictissimum regem Karolum se et castra ab ipsis occupata dedant, aut cum Gallis assiduo insultu persistentibus campestre certamen inire cogantur (B), verum cum tanta usurpandi aliena cupiditas barbarorum animos alliciat ut nullum, quamquam

Var. : (A) A B *obsidione;* (B) A *coguntur.*

(1) Ce passage est altéré; nous proposons de lire : *coarctaret Anglicos, ut...*

tenue, opidum restaurare absque gravi conflictu vellent, nec eorum vires ad pugnam cum incredibili Gallorum alacritate gerendam suppeterent, tum Anglici in arcto positi, a plaga Northmanie superioris Constantinoque fugati, et castris maritimis recepti, necnon opidorum, maxime Cesaris-Burgi et Sancti-Salvatoris custodes in Angliam ad regem nuncios plenius instructos transmittunt attente rogaturos ut, mora posthabita, velut ingens necessitas urgebat, ad Gallorum invasioni occurrendum in Franciam acceleratum militare subsidium delegaret. Paucis enim diebus interjectis (A), numerosa classe ab omni parte collecta, Thomas Kyriel, in armis expertus miles ac in parte regis vicegerens, quinque millium armatorum ductor pelagus sulcans renitenti velis Austro ad quemdam portum juxta Cesaris-Burgum rates Anglicas subduxit. Quorum appulsu comperto, dux de Sombresset, tunc Cadomum tenens, gaudio non mediocri exultans fertur dixisse, ut a fide digno relatum habui : « O Karole! Karole! vos venas nostras acri venatu cons- « trinxistis, sed nunc vestras acerbiori constringam. » Profecto iste dux, Anglie subsidio fretus (B), regem Karolum dira obsidione clausum, vel in ipsum campo aperto confligere, in elata mente habuit, quod jactatu temerario successit adversum. Confestim turribus onustis machinas ceteraque usui bellorum accommodata preparat, ut quam primum omnia castra sub Karoli ditione redacta Cadomo vicina armis infestis recuperet, et rem ad istam conficiendam succursum ab Anglia missum citato itinere Cadomum transmeare precipit.

168. Ceterum Thomas Kyriel subsidii armorum rec-

Var. : (A) A la syllabe *ter* écrite avec abréviation au-dessus de la ligne ; (B) A B *freturus*.

tor, a ballivo Constantini Anglo persuasus, ceterique capitanei, mandatum ducis non acceptum ferunt (A). Nam Gallorum munitiones fortaliciorum Sancti-Laudi, Carentonii et Pontis-Ouve, patriarum arces, a Constantino in Belciacum Angle genti liberum transitum obstruunt, et eidem tributa exigendi facultatem adimunt. Gallis vero intrusis exactis, Constantinum et Belciacum ditioni Angle reunita armis, commeatu et stipendio belli usui opulente auxiliari putantur; que si adversa dimittantur, non modica Anglicis obsidionibus dispendia sunt allatura. Hiis et aliis persuasionibus ducta, in die Veneris ante in Ramis Palmarum dominica, Anglica gens indevota, crudelissima obsidione Vallonias et populum Cristi Passionis cultorem super commissis penitenciam agentem infestare, templa depredari et donaria sacra rapere cepit. Sacrilega vero manus calices ad summum sacramentorum misterium consecrandum dedicatos frangit, et fragmina eorum minuta in lodices sanguinolentos abscondit, et corporalia preciosissimi Cristi Corporis sepulcrum quidam in usum camisiarum prophanat; alius ex sacris lintheaminibus vel sceleratum pectus aut caput impium tegit. Inauditum sacrilegium et horrendum in ecclesia d'Yvetot perpetratur. Devotissimam crucifixi ymaginem, ne infra ejus viscera thesaurus absconderetur, gens ex raptu vivere consueta suspectam habet, et protinus ob insanam rapiendi libidinem statuam Cristi in frusta lacerat. Rabies enim Anglica sacri temporis Virginis Nati Passionis transquillitatem conturbare non formidat. Et dum a commissis secreta confessione recollectis mortalium anime purgari jubentur, ferro conscienciе studio vacantem hominum communitatem dispargit;

Var. : (A) A d'abord *acceptum non ferunt*, puis *non* transposé.

quemdam vinclis astringit, gladio perfodit alium. Omnes enim tanto furore turbati a templis diffugiunt, eterne salutis ministros relinqunt. Templa sacerdote et populo vacant; hic in antro, ille palude territus latitat. Proprius curatus per vastas solitudines subditum perfugium querit. In dumis reperto sacramentum penitencie confert; in sacra ede aliena sibi accommodata Eucharistiam profugo ministrat.

CAPITULUM SECUNDUM

Qualiter dux de Sombresset ad obsidionem Valoniarum roborandum duo virorum armis prestancium millia mature transmisit. Qualiter ab Anglicis possessoribus egregie, et ab opidanis mortifere certatum est. Qualiter rex Karolus, intellecta Anglorum invasione, comitem de Claromonte, suum generum, quingentis armorum lanceis in Constantino militantibus succurrendum celeriter transmisit. Qualiter Abel Rouault, succursu a comite de Claromonte et aliis bellorum ducibus non secuto, opidum Valloniarum diu et strenue deffensum Anglicis reddit. Qualiter castro Valloniarum subacto, Anglici Sepis fortalicium se expugnaturos concluserunt, sed mutato consilio utilius in Belciacum acies fore transducendas et cum adjunccione armatorum ducis de Sombresset a fortaliciis Sancti-Laudi et Carentonii Gallos censent expellendos.

169. Cum dux de Sombresset certum haberet exercitum uti mandaverat quamprimum Cadomum non accessurum, sed munitiones adversas Gallorum a Constantino

propellendas operam militarem daturum, ad obsidionem Valloniarum corroborandum et vires pugnatorum augendas duo virorum armis prestantium millia mature transmisit; quorum magister Ver, comitis Oxonfordie germanus, ex Cadomi, Matheus Goth ex Baiocarum, et Henricus Northbery, ex Virie presidiis assumptorum ductores erant. Non iste vocatus magister Ver alicujus preclare artis professor existit, sed, ut accepi, mos Anglorum inolevit ex preclaro et potenti genere postnatos nominare Magistros; namque forsan aliorum ex sanguine minori procreatorum in bello magistri et ductores efficiuntur.

170. Exercitus iste non absque maximo vite discrimine per vada Sancti-Clementis in Constantinum profectus est; nam tria flumina ex latitudine per duas leucas arenosam planiciem et alveum extendunt (A), que inibi in occeanum merguntur. Haud in istis vadis securus (B) nisi in arctissimo loco transitus patet, nec in dextram nec in levam, quin arenosa palustris tremula statim absorbeat errantem, declinare fas est. Huic exercitui armati Galli, quorum maxima Carentonii copia erat, facile, velut opinio vulgi fixum tenet, in Constantini septum aditum prepedisset si adversa gessisset arma; et ob hanc rem, et potissime propter secretum colloquium quod Anglici quidam pridie Carentonium transeuntes cum nonnullis majoribus nostris habuere, sinistrum murmur et vehemens factionis suspicio (C) in vulgus decurrit. Exercitus enim in Constantino ductus, juxta maris littus iter agens, passim omnes populi fortunas diripit. Postquam eo venit, cum aliis obsessoribus junctus, acri insultu, crebro machinarum fulmine et viis subterreneis Vallonias infes-

Var. : (A) A C *extendit;* B omis; (B) A B *securi;* (C) A *suspictio.*

tat. Et ex adverso Abel Rouault, ex Pictavia oriundus, bello strenuus, castri custos, et sui commilitones virili animo et corpore robusto invasoribus resistunt. Ab utraque parte egregie et ab opidanis letifere pugnatum est; nam, ut ab incolis accepi, dura castri repulsio fere quingentos Anglos extinxit.

171. Rex enim Karolus, calamitate patrie per communitatis Sancti-Laudi nuncios intellecta, ut furor Anglicus [divina] et humana jura sacro tempore turbabat, strenuissimum Clarimontis comitem, suum generum, quingentorum lanceatorum ductorem, ad invasionem Anglorum refrenandam maturare jubet; cui (A), ut Carentonii accessit, heros de Radiis et de Coitivi, belli navalis dux, ceterique castrorum custodes, et redacta sub regis obediencia patrie nobilitas, multa in copia armatorum conveniunt. Et quamquam strenuus comes animo juvenili ardesceret hostes ob obsidione armis illatis propulsare, attamen cognita eorum ineluctabili munitione, non inibi expugnandos viri armis experti statuunt. Postremo Abel Rouault ac opidani, quibus nemo succursurus ivit, eo pacto Anglicis Valloniarum castrum diu oppugnatum cessit, quod Gallica gens belligerans equos, arma et quecunque etiam bellorum usui comparata liberius apportabunt, et burgenses universorum quieti manebunt possessores. Verum Anglica rapacitas, fraude innata promissorum violatrix, contra deditionis legem ab hominum visu Gallos seorsum repertos a concessis deferri nudare non erubescunt. Castro enim Valloniarum occupato, Anglicis in mentem venit deinceps Sepis-Putei fortalicium expugnandum; ceterum mutato consilio censent utilius exercitum a Constantino in Belciacum fore transducen-

Var. : (A) A B *qui*.

dum, ut armorum residuo ducis de Sombresset freti, a Sancto-Laudo, Carentonio Gallos militantes acrius propellant, qui a patria Constantini in aliam transitum intercipiunt.

CAPITULUM TERTIUM

Qualiter comes de Claromonte, itinere hostium et modo acies educendi explorato, a viris prudentissimis consultus variis ex causis in transitum vadorum se hostes non aggressurum deliberatum habuit. Qualiter Priandus de Coytivi, egregiis et validis racionibus in conflictu publico cum hostibus, presertim in Constantino, non fore decertandum, sed castra copiis armatorum muniri, et per turmas hostes debere expugnari persuadet.

172. Denique, ubi egregius comes de Claromonte modum educendi hostium acies et itinera explorare fecit, a viris prudentissimis consultus deliberatum habuit in vadorum transitu hostes aggredi non oportere, cum locus aquosus equestri bello non aptus, ymo periculosissimus existit. Tum quamplurimi captivi per Anglos vinclis ducti transitu submergi possent; tum Francie connestabularius Constanciis absens conficiendam ad pugnam, ut tam arduum negocium postulat, expectandus erat. Heros enim de Coitivi, navalis bellorum princeps, hanc sentenciam secutus dissuadet cum hoste, potissime in Constantino, fore decertandum. « Fortuna enim anceps (A) « bellorum nobis valde est timenda. Retroactis conflic-

Var. : (A) A B *auceps*.

« tibus major duplo Gallorum potencia nunquam campestri pugna Anglorum vires superare commemoratur. « Adversi exercitus multo in numero nostros excedunt. « Si pugne infortunio hosti succumberent, nedum « Northmanie, verum totius regni perditionem infelix « hostium victoria prepararet. Si amplissima Carentonii, « Constanciarum et Sancti-Laudi suburbia custodibus « armatis destituantur, illa defensoribus evacuata hostes « statim occupabunt. Hac opportunitate hosti concessa, « omnia castra per Britanie ducem feliciter redacta facile « in hostium potenciam recasura sunt. Nolite, igitur, « egregii milites, rem tam ambiguam et rei publice perniciosam cum letali capitum vestrorum discrimine « tentare. Et presertim in Constantino nullo eventu « hostes operiri convenit. Ubicumque hos reperieris, « nobis equestribus fossato et palude iniqu[u]s adversa, et « ipsis peditibus munitus prospera locus est allaturus. In « Valloniarum et Cesaris-Burgi Anglicos plenissima « armatorum munitio erigatur. Cetera vero castra, ut « non hostes intrudantur, vigilanti studio armis tutari « oportet; et si a fortaliciis hostes evagari contingat, per « cohortes absque gravi nostrorum detrimento poterunt « expugnari. »

CAPITULUM QUARTUM

Qualiter hec oppinio a vulgo, patrie nobilibus et a nonnullis egregiis pugnatoribus, ut suspecta cupidine lucri pabulacionum captati, diversis racionibus impugnatur. Qualiter edicto publico ne armati hostes invadant (A) *prohibetur, et in districtu Pontis-Ouve ad impediendum in hostes transitum custodes apponuntur. Qualiter nobiles et viri optimi merore confecti, previsa futura* (B) *patrie desolacione, senescalum Pictavorum ut velit patrie labenti succurrere alloquuntur, et qualiter non in Constantino sed in Belciaco hostes esse expugnandos respondet. Intellecta Belciaci itineris angustiarum et districtuum disposicione, comes de Claromonte per curatum Carentonii ad conestabularium licteras credencie Constanciis scribit, ut in Sanctum-Laudum, deinceps ad pagum Treveriacum, exercitus ductet.*

173. Hec sententia non ut patria ab hostibus liberetur, sed ut captato pabulationum lucro perpetuis cladibus guerre subdi contingat, exhortari suspicatur; cui opinio vulgi, nobilium et etiam egregiorum pugilum adversari videtur. Nam aditu difficilis vadorum angustia et progressu periculosa, ruditasque novorum Anglorum armis indisciplinata atque gravi obsidionis labore defessa, Gallis, bello expertis et diu multa rerum opulencia recreatis, hostes insequentibus futuram victoriam policetur. Attamen, ne armati hostes invadant, edicto publico

Var. : (A) A C *invadent*; (B) A B *future*.

vetatur ; senescalusque Acquitanie et Joachim Rouault, Pontis-Ouve districtus custodes, statuuntur ne in Constantinum cohortes pugnature transitum agant. Patrie enim nobiles et viri optimi anxio merore confecti, previsa regionis desolatione proxime ventura, Pictavorum senescalum supplices alloquntur. « Natalibus enim totius « Constantini clarioribus ex parte materna traxistis ori- « ginem ; rex, supremus dominus noster, istius strenuis- « simi principis, sui generi, vestre fidei et industrie in « publicos hostes regimen commisit. Devoti igitur humi « provoluti accuratius requirimus, et vestram probitatem « obtestamur, labenti in miseram direptionem patrie « succurrite ; juratam regi fidem et illesum hujus domini « honorem servate. » Ac inquit. « Fidelitati vestre summe « gratulor. Nequaquam in Constantino, ubique cursui « equorum adverso, ceterum in Belciaco, patria bello « equestri ydonea, sumus hostes aggressuri. » Ac illi : « Tum in vadorum exitu ad hostes debellandum vigi- « lantius vos insistere oportet. Si Belciacos districtus « semel evaserint, loca nemorosa, Baiocas, Cadomum, « ceteraque contraria castra et amplissimum armatorum « subsidium recuperare valebunt. Juncta enim cum isto « exercitu, presidiorum potencia, fas vobis non erit « tantum inimicorum numerum, utique decem millia, « invadere. Si igitur celeritas armatorum hostes virilius « aggrediatur, vestre dextre totius patrie salutem ; si pu- « sillanimis incuria remisse torpescat, universi ducatus « calamitatem ferunt. »

174. Concepta enim dispositione, illustris comes de Claromonte per Carentonii curatum, virum in hoc negocio ardentissimum, ad Francie connestabularium Constanciarum litteras credencie dat. Hic nuncius comitis intentionem fideliter aperit, ducem bellorum divertit

versus Sepem-Putei profecturum hostibus obviam, quos ibi vulgaris fama detulerat accessuros, ne in Constantinum, verum in Belciacum ad Sanctum-Laudum propere maturans exercitus ductet; et dehinc postera luce sub aurora illustrante ad pagum Treveriacum tendat. Profecto hinc comitis ex parte Carentonii profecture, et ex altera connestabularii acies positos in arcto paludum hostes intercludent; a fronte et tergo invasi facile obruentur. Nec districtus angustiarum, nisi per arctam veteris pontis calciatam inter urbem Baiocas et rus Formigniacum, evadere possunt, si non iter dispendiosum versus marinum littus Baiocas tendens capiatur. Ab illo transitu paludum origo incipiens lutuosa et invia loca usque ad Ysiniaca vada dilatat.

175. Hoc salubre consilium Arturus de Britania, dux bellorum prudentissimus, gratum acceptat; ac impiger Constanciis recessurus, ad Sanctum-Laudum in lucis extremo armatorum cohortes properare imperat. Postero diei ortu, celebrata Missa et religiose audita, equo incedens Treveriacum maturat, hostibus calciate veteris pontis transitum intercepturus (A).

Var. : (A) A *intersepturus.*

CAPITULUM QUINTUM

Qualiter intellecto hostium per vada transitu, in villa Carentonii et campis subitus clamor ad arma insurgit; protinus publica inhibicio ne aliquis hostes persequi audeat promulgatur. Ac magis populi clamore ingravescente, fracta inhibicione, confestim quamplurimi exercitati, armis raptis, sine duce et ordine ad vada per turmas ruunt, et ipsis accerrime hostes invadentibus, in fluviorum alveo asperrimum et periculosum certamen agitur, in quo quamplurimi Anglici, quidam cesi, alii submersi, ceciderunt, et si pauci opem tulissent, hoste triumphato, consummata victoria secuta (A) *fuisset. Et ob hoc post reversionem a conflictu, tam armatorum quam populi furiosus clamor in bellorum ductores invalescit, palam vocitans in rem publicam et regem manifestam* (B) *prodicionem perpetratam fuisse.*

176. Interea speculator a templi Carentonii arce campana et voce indicat quod Anglici magna Sancti-Clementis vada transeunt; et clamor ingens Carentonii et campestribus villis insurgit, ad arma vulgus, populum et exercitus vehementius excitans. Protinus inhibitio publica sub capitali supplicio interdicit ne quis armatorum hostes prosequatur. Ac vulgus et populus, velut desperatio furiosa agitabat animos, in clamorem anxium erumpunt : « Aperta et infida traditio nostrum, uxorum, liberorum « personas et queque nostra perdit. » Fracta inhibitione,

Var. : (A) B *consecuta;* (B) A *magnifestam.*

quidam vir bello acerrimus, Mala-Urtica cognomine, sub Gauffrido de Couvren militaris, decima quarta Aprilis, ac sui armorum fratres rapiunt ferrum. Confestimque exercitati sagittarii, bipenniferi et equestres, altero non expectato, sine duce, absque ordine, per turmas ad vada gressu properato ruunt; nec Pontis-Ouve custodes, ut non sedicio mortifera oriatur, precipitem ruentium (A) cursum impedire audent. Ceterum ipsi capitanei, senescalus Acquitanie et Joachim Rouault inter se conquerentes mutuo proferunt : « Omnes isti absque conductore cum im-
« petu gradientes se perditum et nos scandalisatum festi-
« nant. Ipsos sequi nos convenit, non ut in hostes pugne-
« mus, sed ut periclitantes salvos recolligere possimus. »

177. Nec mora, furor Gallorum ignitus in posteriorem hostium turmam irrumpit; jaculo, hasta et ferri cuspide Anglorum turbat agmina; quosdam gladio perimit, alios sagitta confodit, multos vadorum nauffragio cogit absorberi. Mirum ! infra vadorum alveum una pars Gallorum et Anglorum, mortis pericula oblita, pube tenus mersa, mutuis gladiis atrociter cedit alteram. Cum Joachim [Rouault] hinc inde in aquarum nauffragio asperrimum bellum geri prospectaret, egregium animum continere non potuit, quin preter propositum se pugne admodum periculose inferret. Senescalus et Gauffridus de Couvren idem agunt. Intra vada durissimo conflictu plusquam leuca hostium acies prosequntur. Nec primi Anglici inter duo vada, nec illi citra propter loci iniquitatem invasis opem referre possunt. Non dico si duo millia armatorum, verum si ducenti hastis prevalidi Gallis invasoribus presidio adessent in vadis, ab hoste triumphato consummatam victoriam reportassent. Et tamdem

Var. : (A) B mot laissé en blanc.

Anglici, prosecutione Gallorum infesta fatigati, unum militare signum in Gallos sine ordine militantes reflectunt. Hoc viso, cum nostri tantum armorum impetum refellere non possunt, subita fuga assumpta saluti consulunt. Sed cum jam mare affluens vada implere properabat, instanti discrimine utraque pars perculsa ad suum littus celeres gerit gressus. Anglici vero a tantis vadorum periculis ac ferocium manibus eruti, Belciaco solo potiti admodum gratulantur. Matheus Goth dixisse fertur : « Crudelissimis canibus invitis, transivimus; » et pronus terram adeptam osculatur. Proinde Baiocas petit ut armatorum subsidium adducat, postero die ad suos in Formigniacum pagum reversurus.

178. Interea, ut nichil hostile Anglici formidarent, per campestres villas effunduntur. Ante tamen illustris comes de Claromonte a Carentonio in Brevandi villagium, juxta vada duntaxat riparia Taute intermedia, cum paucis profectus fuerat ; a quo Gallorum insultum transitumque et Anglorum potenciam prospexit. Ipso enim comite reverso, tam armatorum quam populi furiosus clamor in bellorum ductores invalescit, propatulo vocitans ; nullo ingenio refelli posset quin in regem, in rem publicam factiosa proditio perpetrata fuerit. Quidam armatorum, Mala-Urtica, doloris impatiens, arma exuit et exuta conculcans humi projecit, attestans nunquam in Franciam se bella gesturum. Alius velut furia exactus in parietem vibrans hastam rupit. Hugo enim Spencier, Anglus condam Constantini ballivus, hanc sinistram suspicionem (A) vehementius auxerat ; nam die anteriore Carentonio iter agens, familiari curialitate a majoribus receptus, Bacho optimo perpotatur. Sentencia vulgi est

Var. : (A) A *suspictionem.*

auro dato liberum transitum Anglie exercitui comparasse; unde tumultus implacabilis magis ac magis ardescens fere in seditionem (A) vertitur.

CAPITULUM SEXTUM

Murmure populi et opprobriis comes de Claromonte audacior effectus, ceterique bellorum duces postero die hostes invasuros media nocte concludunt; et statim hoc ad diversos et precipue ad conestabularium in Sancto-Laudo, ut auxilium ferre velit, scribunt. Et idem comes cum suis armatis summo mane parva Ysigniaci vada transvehit; et, explorato Formigniaco rure, majori in parte Anglos congregatos ipsos aggredi properat. Et exercitu Gallorum intuitu oculorum conspecto, illico Anglorum principes prudenter in tripartitum gradus ordinem bellum construunt.

179. Et cum egregius comes de Claromonte populare murmur indigne suo honori detrahere videret, opprobria egro animo tulit; et capitis periculo fidem inviolatam quam ad regem gerit vulgo ostendere desiderans, pervigili certamen cum hostibus ineundi cura excitatur. Ipse inflammatus et prob[r]is audacior effectus, ceterique bellorum principes postero die se hostes invasuros media nocte concludunt. Hac intempesta hora ad diversos et precipue ad Francie connestabularium in Sancto-Laudo, scribunt, ut in tam arduo necessitatis articulo auxiliator interesse velit. Magnanimus enim comes summo mane parva Ysigniaci vada navigio transvehit acri et animo

Var. : (A) A *sedictionem,*

estuanti querens hostes cum tribus armatorum millibus in Belciacos campos adventat; sollerte[r] explorato Formigniaco rure, majori in parte Anglos congregatos citato equitatu ipsos ferro aggredi properat.

180. Et cum hostes furentem exercitum Gallorum in suum concursurum intuitu oculorum preparatum haberent, principes, rei militaris non ignari, et firmi adversus inopinata pericula, ad refrenandum eorum impetum providenter bellum instruunt. Profecto in tripartitum gradus ordinem apposite pugnatores collocant; anteriorem docti sagittarii jactu telorum mortiferi, mediam robusti gladiatores gesorum ictu sanguinolenti; armati nobiles lancearum vibramine prevalidi aciem tenent extremam. A tergo quemdam torrentem,[h]ortis diverso arborum genere consitis intermediis, pro aggere constituunt. Quilibet sagittarius in frontem inimicam acutum pallum humi fixum erigit; et gladio repente ad fossarum usum verso, et ungue verrente tellurem concavant, et ante se longe (A) lateque precipitibus foveis et profundis foraminibus solo altius sauciato, campum equis inadibilem mira hostium astucia efficit.

CAPITULUM SEPTIMUM

Qualiter Matheus Goth eleganti persuasione acies (B) *Anglicas in Gallos ruituras animat. Qualiter ab utraque parte virtuose mutua clade certatum est.*

181. Comperto enim a Gallis Anglicos jam infestari, Matheus Goth festinanti quadrupede spuma re[s]perso ad

Var. : (A) A *lange;* (B) A *accies.*

suos reversus, policito honore captandi spe lucri et obtinende victorie confidencia barbaricas acies in Gallos ruituras animare cepit. « Virtus enim vestra, fortissimi viri, « hodierno conflictu quanta sit in hostium pugnam variis « periculis retro probata ostendet. Si virili animo et corpore robusto adversus istos plus vindicte calore quam « virtute concitos dimicet, ab hostibus preclaram victoriam reportabit. Si ignave, veluti pecorum hostes inhumani versa guttura cruentis mucronibus abscindent. « Estote memores ut vestri patres cum paucis innumeram « Gallorum multitudinem semper vicerunt (A) et nunc « multo plures, si animi vigor insit, istam effrenatam « turbam sine ordine in vos ruentem maximam in fugam « disperget, a qua fugax nullus strictam captionem aut « subitam mortem evadere poterit. Nam vada jam mari « cumulata Carentonium fugientibus viam precludunt. « Fusis enim Gallis omnis vobis et posteritati vestre « comparata animi prestancia perpetua nobilitatis insignia consequemini. Ditia Gallorum spolia, que argento « auroque prefulgere conspicitis, non mediocri sorte vestras fortunas augebunt, que vos non ambigo consecuturos si animi prestancia in conflictu, veluti fortes « proavi, in adversos pedem teneat fixum. »

182. Cum in exordio belli Anglici in ordine compacti magna vi sevientem Gallorum impetum repellunt; nec propter fovearum impedimentum, haud pallorum vallum acies consertas disjungere, nec Galli infesti acri manu in hostes dimicare possunt. Et ecce Giraudus, arte sua doctus, ut acies hostium militari vigore disjungi non posse vidit, regiarum machinarum unus magistrorum binas colubrinas in adversa inimicorum bella apte locat,

Var. : (A) A B *vicit* ; C *vicit* corrigé en *vicerunt*.

et inopino tractu tormentorum misso, segregans acierum ordines compositos fulminat. Tametsi bellorum ordines, non tamen bellantium animi insimul uniti franguntur. Omnes enim acies ab uno sine conflictu mutuo gravissima plaga vulnerari Anglici manu cruenta ira ebulienti fremescunt, et a loco munito in unum glomerati maxima vi et impetu furioso Gallorum aciem invadunt. Acrius irrumpentes ferme unius tractus sagitte architenentium bellum retrogradi cogunt adversum, et colubrinas, repente necis instrumenta, non mediocri probitate raptas ad campi clausuram ferunt. Petrus vero de Bresiaco, armis strenuus miles, consilio providus et firmus adversus inconsulta pericula, rure, quod Vallonie nuncupatur, unam bellorum alam dirigens labentibus opitulaturus, equestres armatos impigre detorquet, qua sagittariorum fugam conspicit. Voce tonanti et aspero verbere in ordine militari disgregatos congregat crucis minis, fede fuge opprobriis et prospera (A) belli sorte, si valeant ut fortes viri, lapsos fugientium animos reparat. Ab equo celerrimus pedes humi prosiliit, multo jaculorum volatu mortifero, bipenni et crebro lancearum acumine mediam sagittariorum turmam numero septingentorum constructam acerrime impetit. Hanc confertissimam maxima vi et accelerata disjungit, disjunctos sauciat, cedit et interficit, ac substractas colubrinas ad Gallorum campum reportat, omnium bellorum hostium in ipsum ruentem cum ire flamma impetum sufferre non valiturus. Profecto acies Anglorum perpulchre construuntur. Triplices enim ordines, ut solidi civitatis muri, hostium invasionem detrudunt. Tres vero turme sagittariorum, qualibet ex septingentis composita, due bellorum extrema et altera medium

Var. : (A) A B *prospere.*

tenentes, veluti tres turres firme, hostium aggressionem ne frangat preliorum ordines in presidio constructe arcent. Et si Anglici incepto conflictu perstantes Gallos retrogressos insequi ausi fuissent, sors eorum prelii casu pernicioso adversabatur.

183. Hoc enim durissimo conflictu sedato, Anglici in sua munitione recollecti diversos bellorum ordines extimplo reparant. Ac Galli, repulsa acriores effecti, dimissis equis, pedestres idem agunt; non omnem aciem recto, sed transverso prelio divisim turmas hostium impugnant. Hac equidem (A) Gallorum bello acerrimus de Coitivi, Acquitanie senescalus, inter extremam et mediam bellorum aciem suam cohortem conserit. Hec audacissima intrusio acri manu et hasta acuta admodum conturbans provide ordinata Anglorum bella, postremum ab aliis disjungit; que, si composito ordine firma perstitissent, vix aut nunquam expugnata Gallis confligentibus succubuissent. Utraque pars fere trium spacio horarum, una petens aliam et altera refellens invadentem, sub ambiguo palme exitu varium et atrox certamen agunt. Ventus enim Anglorum fronti adversus sagittarum rigori multum detraxit, et Gallorum jacula agitat penetrabiliora, et pulvere refertus oculorum aciei non leve nocumentum injecit.

CAPITULUM OCTAVUM

Qualiter comites Claromontis et Richimundie cum tribus armatorum milibus et quingentis septem milia Anglorum in bello Formigniaco mira victoria expugnaverunt. Qualiter Matheus Goth Bayocas et magister Ver Cadomum fugiunt.

184. Cum strenuissimi comitis de Claromonte exercitus hostibus numero inferior, sed virtute animi pres-

Var. : (A) A B *Hec et quidem*.

tantior, ingenti sudore tantam belli molem graviter ferret prope a conflictu declinaturus, ecce auxiliator, egregius Richimundie comes, Francie connestabularius, et comes de Lavalle, herosque de Loheac, de Sancta-Severa (A) et Britanie marescalus, pluresque alii proceres, cum tricentis armorum viris et sagittariis belli decreto sibi accommodatis, ordine militari equitant. Et quamprimum signa flammantia oculorum imbecillitate non vere distincta conspectu bellorum paulatim insurgunt insignia, ducis de Sombresset opifera Anglici falso estimant adesse; et ignavi leticia instantis calamitatis presaga excitati vocibus altisonis plausus mente conceptos extra testantur. Sed cum vexilla liliorum splendore corruscantia luminibus intuentium cominus (B) effulgerent, formido et subita mortis ymago barbarorum virtutem animi et immanium vigorem membrorum frangit. Et ex doctis rei militaris velut rustici imperiti, et ex ferocibus viris mulieres pavide effecti, vallum, fossas et bellorum ordines dimittunt, terrore inconsulto pavefacti a loco munito juxta torrentem retrocedunt, non campestrem conflictum, sed miseram cladem expectaturi. Et continuo equidem turba connestabularii cum Anglorum exercitu juncta, ambo strenui comites Britones a tergo, et ceteri eximii bellatores a fronte, manu valida et prestanti animo hostium acies rumpunt. Bipenni, gladio et hasta robusti Anglici consternuntur, lapsique mucrone guttura resolventi a mangone et plures ab agrestibus, qui visendi pugne spectaculum seu spolia consequendi gracia venerant, manu cruenta jugulantur. Fusis enim Anglorum bellis, robusti quingenti sagittarii in [h]ortum sentibus dempsis

Var. : (A) A *de Aurivalle* écrit à la suite de *Sancta-Severa* a été biffé; (B) A B *quominus*.

circumseptum ut fortes viri invium prosiliunt, ac inexorabili Gallorum ferocitate genu flexo, ut quisque arcum traderet, omnes, nec unus evasit, gladio confodiuntur. Tante enim formidine stragis perterriti, Matheus Goth Baiocas et magister Ver Cadomum, cum lapsum suorum viderent irreparabilem, fugiunt; atque Thomas Kyriel, exercitus princeps, et Henricus de Northbery, et quamplurimi alii sine nomine, utique mille et quingenti, capti carcere pessundantur.

185. Illa dies Anglicis infausta funestam cladem, et prospera Gallis non ab humana sed divina virtute concessam preclaram victoriam attulit. Profecto tria electorum pugilum millia et centum septies ac septuaginta quatuor efferi Anglici durissimo conflictu ceduntur, et duntaxat Galli duodecim arma sequentes, non claro sed obscuro genere creti, prelio cecidere. Non igitur infinita Gallorum multitudo longe hoste major Anglorum paucitatem ex insidiis latentibus in occasu prorumpens oppressit. Nam tria vel circa Francorum septem barbarorum millia ordine conserta campo aperto expugnarunt, quorum plusquam mille fuga turpis dira nece seu strictis a vinculis non salvavit. Quis sapiens unquam assentiret quod tria Gallorum millia numerum Anglorum quatuor millibus superiorem, duntaxat duodenis cesis, prostravissent, si non armipotens virtus Summi Imperatoris Gallis prelium gerentibus, tam fero hoste triumphato, incredibilem victoriam contulisset? Dum certaminis campo Francie connestabularius concursurus in hostes cominus (A) appropinquaret, adversariorum estimatione plusquam viginti virorum armis strenuorum millia ductare videtur; attamen cohors pugnatorum ordine ducta quingentos bella-

Var. : (A) A B *quominus*.

tores non excedebat. Hec tantorum hostium mente concepta representatio militum, ut arbitror, celestium, animorum et corporum vires ab integro consternit, eorumque militarem industriam subita et pugne usum capit oblivio. Et cum deinceps ab hoste stricto ferro peterentur, animo turbati bellorum ordines antea recto tramite compositos confundunt, ac manus imbelles, velut truncate essent, gerunt; naturaque nulli magis feroces et cruore nutriti absque resistencia, velut pecora in macello, trucidantur. Sunt equidem indigene qui dicunt magistrum Ver, cum super belli amissione interrogaretur, duci de Sombresset respondisse : « In belli exordio nos con« tigit victoriam consequi. Ceterum quidam perversi fures « in Constantino nobiscum exeuntes, ecclesias depredati « sunt, et propter has templorum expoliationes ad extre« mum perdidimus conflictum. Hoc verum scio; cum « actu pugna gereretur, in aere quoddam vexillum cali« cibus albis refertum vidi, et vocem ter clamantem « Vindictam intellexi; et cum hoc prodigium michi « ostenderetur, a bello fugi territus. » Ea res ut vera michi non est comperta, propterea quod testes satis locupletes hec a magistro Ver prolata fuisse (A) non me certiorem fecerunt.

Var. : (A) A B *protulisse;* dans C *protulisse* a été barré et *prolata fuisse* écrit au-dessus.

CAPITULUM NONUM

Qualiter dux Clarencie crudeliter invadens Andegaviam a colonis et ceteris rebus agros depopulans, et sacrilegus tempore Cristi Passionis divinum cultum turbans, in bello Baugiaco, suo exercitu expugnato, necatus fuit.

186. Absque teste hoc prodigio divina ultio semper acri et accelerato supplicio sacrilegos et pacis ecclesie turbatores extorquet. Nec Hebreorum vetus nec gentilium alienum, verum, Anglia, tue gentis sacrilege et religionis sancte contemptricis, in fidei memoriam exempla adduci fas est. Dux enim Clarencie, regis Henrici germanus, armis strenuus, sed in hoc flagicio sceleratissimus, maximo principum nobiliūmque et sagittariorum exercitu comparato, sacro quadragenario Passionis Cristi tempore animarum fidelium transquillitatem turbans, Andegaviam invadit; raptu, vinclis, ferro colonos ex improviso crudelissime afficit; inherme et devotum vulgus persequens barbaricum furorem in Andegavis portas extendit. Universa civitas tanto malo inconsulto territa ad jejunia, elemosynas et preces devotas conversa est, ut a tam crudi tyranni ferocitate summa Dei benignitas patriam eripiat. Populus aggrestis vel captivus aut profugus salubre animarum a viciis curandarum studium invitus deserit. Absque sacro ministro et divino servicio templa Cristi Passionis sollemnitate inculta et plebe vacua sola remanent. Ob sancte religionis conturbationem Divine Majestati, cui sollemnis et debita veneratio substrahitur, et fide-

lium animabus, que sacramentorum salutaris penitencie anthidoto et supercelesti Eukaristie alimonia turbate frustrantur, atrocissima injuria infertur. Eapropter iste funestus sacrilegus, qui animabus criminum labe purgandis (A) divinitus indultam sanctissimi temporis, quo bella ingeri et non repelli a Cristianis vetantur, immunitatem violare non formidat, tanti facinoris protinus vite ab hac luce substracte ultimam penam solvit.

187. Profecto ubi Scotos, quorum comes de Bouquam conflictus ardens, et Andegavos [quorum] heros de Fontanis, vir armis egregius, ductores erant, et quosdam alios diversa natione satos, ut ipsum invadentem justis et licitis armis peterent, dux iste, mente elatus, congregatos intellexit, illico a mensa prandii evulsa prosiliens celerem equ[u]m ascendit, ac inconsiderate de armatorum multitudine, que maxime erat genere clarorum presumens, rusticis suis temere spretis, dedignatur hostium concursum operiri; sed Gallos nundum ordine discretos furioso et precipiti assultu impetit. Hic a fortissimis viris flamma celesti animatis constanter receptus, primo aggressu, sabbato, sancte Pasche vigilia, lancee vibramine ab equo dejectus, in cimiterio Baugiciaco humi consternitur. Et illico Karolus Pincerna (B), fidelissimus miles, supra ducem resupinum sese projecit, hunc a morte preservare arbitrans, ut mutua redemptione compensata ducem Karolum Aureliensem, suum dominum captivum, a carceribus Anglie liberatum iret. Verum Scotus quidam ferocissimus, cruorem Anglorum effundere sitibundus, ambos, ducem ac militem, uno gladii ictu exactos simul necat. Ceteri vero principes, comites, proceres et nobiles immodico numero interfecti animas ex[h]alant. Comites

Var. : (A) A B *purgendis*; (B) A B *Piscerne*; C *Piscerna*.

vero de Houtinton et de Sommarset ejusque filium et quamplurimos claro sanguine natos carceres atri diurna calamitate infestant. Fuga enim non ignominiosa rusticorum sagittariorum qui ex temerario ducis spretu salutem consequntur, a sorte principis adversa exemit. Tanta enim istius arma corporis robore et belli industria valere arbitrabantur, quod trans Ligerim invi[c]ta ferri potencia Acquitanicum littus adipisci in animo elato venit, ut Karolum regem modernum, tunc Delphinum, interceptum irent. Tam efferati et potentis exercitus, tam audacis et bellorum exercitati ducis terrore pavefacti consiliarii, potiori fuga quam ferro illato rebus afflictis diffidentes, undique arcto ducis circumventum Delphinum salvum facere conclusum habuerunt, quem non hominum industria, verum celeste Numen a tanto infortunio et ab aliis exemptum semper preservavit.

CAPITULUM DECIMUM

De crudelitate et sacrilegiis Henrici regis Anglie, et de ejus anxia morte.

188. Quid de tuis sacrilegiis, Henrice, rex immanissimus, omnium sacrilegorum princeps, et anxia de morte tua dicam ? Non omnia in Deum scelera contexam ; sed ad singulare maleficium, exinde ad miserrimum cruente vite exitum procedam. Accepta enim tui germani et tuorum nobilium strage, infesto, uti duodecim virorum millium, exercitu trans mare collecto, tuorum lapsum reparaturus, regina in Anglia relicta, celerrimo cursu navigio Caleti appulso, in Franciam transfretas, et ne conflictu Baugiaco vires Anglie consumpte vulgo credantur, et ob

hoc sumpta occasione populus Gallicus Delphino hesurus a tua ditione (A) declinet, castris eductas tuas acies in tremendo apparatu infra metas presidiorum Delphini et tuorum barbarorum cogis, et protinus asperrima obsidione Drocas invadis. Et ex adverso dominus Delphinus, ut sue genti obsesse ferat opem, quales potest armatos congregat; sed eventum belli adversum et inclementissimum tuum furorem verentes, publicum certamen tibi offerre non audent. Ideo auxilio nullo secuto, tibi, Henrico, Drocarum opidum aperitur. Heroem de Tillous suspendi jubes. Tibi comperto trans Ligerim Delphinum copias armatorum congregasse, ut tecum dimicare intendat, ex omni parte tue ditionis cuneos armatorum Carnoti a civibus honorifice receptus convocas; et extimplo tuum potentissimum exercitum rebus omnibus nisi alimentis Baugenciacum supra Ligerim ductas. Opidani villam tenue munitam tibi vacuam relinqunt. Turrem vero pontis custodem virilibus armis defendunt, et hanc arcem asperrime impetis, ut subacta turre in Delphinum liberum transitum consequaris. Tua enim aggressione intellecta, territe Delphini acies disperguntur et pallantes, sine ordine, absque imperio, huc illuc disperse agros depopulantur.

189. Tum Delphinus in arcto positus, nullis armorum auxiliis fultus, reluctari impotens, tibi aggressori cedere et casum fortune adversum evadendo se salvum fieri conclusum habuit. Verum pro Karolo Delphino humanis destituto armis fames acrior bellatrix et ventris fluxus contra tuos exercitus divinitus pugnant. Profecto inhumanitas tue guerre inhermes colonos quosdam in carcere fame, alios ferro interemit. Belcia in vasta solitudine

Var. : (A) A *dictione.*

redacta, absque fruge inarata scalet. Secus Ligeris ripam et prope fortalicia alique vinee, sed pauce, coluntur; tui enim Anglici maxima in quantitate cibariorum voraces, extracto Cereris alimento, Augusti fine racemos acerbos deglutiunt. Uvarum cruditate in continuum humorum et sanguinis fluxum intestina resolvuntur. Tum tui barbari exenterati et fame exinaniti in sepibus et per itinera passim moriuntur. Tum a Delphini persecutione, exteriori fame in tuos Anglos triumphanti, te victum cessare et acies nutrimenti inedia languidas trans Secanam retorquere oportuit; et sic divinum subsidium, quod humanum non potest, a tua effera invasione petitum Delphinum, summis periculis versatum, incolumem preservavit. Ac iter agens insultu Rubei-Montis castrum domas, et opidanos confers patibulo; ac vicesimo primo anno Octobri mense, Meldis insignem urbem et bonis patrie infra recollectis cumulatissimam ferocissima obsidione acerbe impugnas. Ac opidani robore magne virtutis tuo durissimos aggressus retrudunt.

190. Galli vero, duplicis fortalicii diurna atque nocturna gravissima obsidione contriti, tibi vacuam urbem relinquere, et in Foro, quo populares non habitant, nobiles et armati sese et fortunas non tenues recolligere coguntur. Anglici vero urbem diu intrare in ambiguo tenent, maxime suspicantes ne Galli in templis et aliis abditis occulti hos intromissos per insidias dolis obruere moliantur. Cives enim ab Henrici regis animo hanc suspectionem depellunt. Profecto nichil fraudis, nichil captionis infra latitare asserentes, te ipsum regem et tuos Anglicos introducunt. Extimplo subterreneis cuniculis cum fossoriis et ligonibus in cauda insule murorum fundamenta succindere et ligneis trabibus suffossa appodiare facis, quibus igne apposito combustis, menia subita

ruina dissolventur; et hoc acto insultu, inclusi sub jugo ituri erant, quod opidanis, eos terrendo, Henrice, ostendis.

191. Tum Galli periculis mortis involuti ac iniquissima obsidionis infestatione oppressi, et annone penuria languentes, nullo succursu opitulanti, Meldis presul, Sancti-Pharronis tunc et modo Sancti-Dyonisii abbas, et bastardus de Vaulzderus, bello asperrimus, armatorum capitaneus, ad purum tui, Henrice, arbitrium, ceterosque armigeros nobiles se captivos, salva tamen vita, anno vicesimo secundo, Junii quinto, dedunt. Et tu, Henrice, omnium avarissimus, infra Forum predam esse opulentissimam cognoscens, antequam tui satellites ingrediantur, ne spolia que solus captas habere rapiant, per certos commissarios trino acervo, uno argentum et aurum, altero aenea ceteraque metalla, in tercio queque superlectilia, discrete coadunari, et omnia cumulata absque distributione tuis stipendiariis facta, ac armatos captivos navigio in Angliam transvehi facis, et plusquam tricentas egregias mulieres in puris et nudis, tamen uno habitu eis concesso, non precioso, retentis in perpetuis carceribus maritis, huc illuc dispersas in exilium transmittis.

192. Et tu quietus Fori detentor ad prandium in propria mensa bastardum de Vaulzderus, in armis strenuum, accersiri jussisti, ac inquis : « Tu, bastarde, nos« tram in tuam personam vite et necis potestatem non « ignoras; arrenunciato Delphino nobis fidem presta, et « te in nostros hostes fidelia arma gesturum jura, et multa « ac ampliora beneficia et summos honores a nostra ma« jestate consequeris. Sin autem, te crudeli et turpissima « morte necari faciemus. » Ac inquit bastardus : « Jure « belli, potentissime princeps, a me captivo exigere non « debes nisi quod justum sit pariter et honestum.

« Nichil iniquius, nichil turpius miles egregius perpe- « trare potest quam captato honore vel lucro, aut mortis « formidine, abjurato naturali et suo supremo principe, « hosti fidem prestare. Ymo si quod a me petis tibi vove- « rem, jamque tibi non prestarem, verum nephando per- « jurio fidem et honorem scelestus justi trangressor infice- « rem. Quamobrem juramentum fidelitati, quam domino « meo obnoxius debeo, adversum nunquam tibi faciam; et « malo (A), pro fidei observancia injuste mori quam fracta « fide per dedecus vivere. Nulla enim mors que pro re pu- « blica sumitur miseranda aut turpis censeri potest. Si « michi vitam eripias, non fidem, non honorem, non « gloriam, michi adimes. »

193. Tum, Henricus, tunicam militarem exui et nigram, mortis presagam, indui jussisti. Ac bastardus excelso ac constanti animo dixit : « O summe Deus! Tibi « humilimas gracias ago quod in vita mea lugubres mei « obitus vestes deferre concedis! » Et tu impius et crudelissimus tortor, bastardi juramentum tibi prestare negantis caput detruncas, et ejus corpus in quadam arbore et quamplurimos alios suspendis, ceterosque opidanos tetris foveis incarceras.

194. Hoc sanguinolento triumpho potitus, tu sceleratissimus sacrilegus, in divinam Majestatem et ejus sanctos attentans, ex sacratissimo beatissimi Fiacri corpore celeberrimum et venerabile templum, multis et quotidianis miraculis decoratum, spoliare audes, et substractum usque ad maris littus in Angliam transferre conaris. Sed properata celestis vindicta tam execrabili conatui infesta non defuit. Profecto ob istud nimis audax et temerarium sacrilegium sentencia vulgi indubitata tenet. In posterio-

Var. : (A) A B *mallo*.

ribus ulcere incurabili percuteris; et ut te gravi morbo acerbe vexari sentis, in sanctum perpetrate offense conscius, reliquias beatissimi Fiacri ablatas in sede propria reponi jubes. Nichilominus implacato divino Numine ulceris flamma irrepens, nulla summorum medicorum arte, nulla expertorum surgicorum industria nedum extingui, sed nec parumper mittigari (A) potuit; acmagis et magis ignis accensus tui ventris cutem exurit, et corrosa superficie, intestina mox humi fluerent, si non medicus, calida pelle ovina adaptata, tuorum yliorum pondus retineret. Et sic anxietate intolerabili et horrenda morte ab hac luce substractus miserrime dies ultimos claudis.

195. Irascerisne, Anglia, me scripsisse tuum regem ob sacrilegium in sanctum commissum morte cruenta turpiter expirasse? Infesta michi non eris, si nedum Cristiane religionis, verum gentilium et Judeorum exemplis instructa cognoscas quod, deleta per Scipionem Carthagine, quidam Romani avaricia corrupti, aurea veste Apolinem Carthaginensium deum nudaverunt; et ob non veri numinis, sed falsi, sacrilegium Apolo infensus effecit quod manus expoliantium inter vestis fragmenta, nulla mortalium opera data, truncate reperiuntur. Ac propter fedam Hely filiorum irreligionem, primo conflictu tribus Israelitarum et secundo triginta millibus per Palestinos cesis, Archa Dei capta et in Adotum urbem delata, in delubro juxta Dagon ydolum collocatur, quod a base (B) suo evulsum Archam pronum adoravit. Unde Palestini gravissima angustia cruciantur, et postremo letifera dissintherie pestis Adotum et universam provinciam ob Arche Dei translationem a proprio loco in exterum invasit, et tam funeste quod, antequam e corpore

Var. : (A) A *mittîgari*; (B) A B *vase*.

anima naturali morte resolveretur, intestina pestis putredine corrupta ferebantur. Quid mirum ergo, Anglia, si propter sanctissimi Fiacri corporis a proprio sacro templo denudationem in extraneum deferendi, Divina potencia tui regis Henrici scissa et putrefacta viscera extra decidant, antequam consueta morte anima e corporis ergastulo absolvatur? Profecto in fide catholica multa similia habemus, quod sancti suas injurias severius vindicant et ulciscuntur, ut acerrime pene formidine territi a sacrilegiis perversi retrahantur; Deum et sanctos vereri, ac conversi summo honore divinum cultum venerari impellantur. Nam, ut ait in Maximo Valerio commentator : « Vidi « ego hominem sanctum Augustinum turpiter bla[s]phe-« mantem, et mox emissa bla[s]phemia, os et linguam « eversa habens mutus fuit. »

196. Et cum hoc et altera tue mortis causa a fide dignis michi comperta est. Quidam vero spectate sanctitatis heremita e partibus Alpium ad te transmissus, summi Judicis auctoritate fretus, tibi strictius injungit ut cum herede corone Francie, sepulto truculento discidio, pacem firmam ac veram componeres. Ac simplicis et sancti viri legationem parvipendens respondes, cum rege Karolo vero et indubitato regni domino, tractatum fecisse, et cum altero super jure regni pacisci tua conclusa intentio non erat. Ac inquit heremita : « Talem pactionem Deus, « cordium scrutator, minus approbat. » Exinde heremita a tua presencia recessit. Post injunctione parumper digesta, mandas, dum Corbolii existit, ut ad te revertatur et ipsum audies. Ait heremita : « Me frustra ad Henricum « reversurum; » quod in te sentencia divina irrevocabilis jamque lata erat. Et cum hic heremita apud Delphinum Bituris venerit, hec tria divino oraculo consilio predixit; Henricum Anglie regem infra certum tempus

moriturum; et lecti consortem domini Delphini hujus rei ignaram, prolem masculinam concepisse, cui post nativitatem casu nomen imponi continget. Nec mora, Henricus ineluctabili morbo confectus vita defungitur; regina modernum Delphinum peperit, qui preter propositum patris regis et patrini, ducis Allaconii, simul altercantium, eventu hoc nomen Ludovicum sortitur.

197. Nullum sacrilegium, Henrice, isto execrabilius unquam perpetrasti quam per cruorem, feda et summa facinora, divina et prophana miscendo, falsa scelerate exheredationis conjuratione, sacram Francie coronam usurpare niti et captare, sacro et celesti oleo sanguinolentum corpus ungi in regem. Divina enim justicia tecum mitius (A) agit ut te tui sacrilegii penitentem ab errato revocaret, dum te per suum nuncium sedulius ex[h]ortatur ut a tanta presumptione desistas, cum vero [s]ceptri Francie successore pacem inires; quam, ut nullam in te potestatem Deus haberet, et tuam nephariam intentionem non cognosceret, superbissimus aspernaris. Prospera fortuna tibimet arrogans, et incepto sacrilegio pessime grassaris, sceleratique tenax propositi quidquid audire metuis, aut odio habes, dedignans respuis, et que propter ardentem regni libidinem affectas, rata, firma et vera, hominibusque gratissima simul et Deo arbitraris. Hinc variis erroribus involutus, dum aliqua tue dominandi libidini adversum cogitare negligis, monitionem tibi salutarem credere et in Deum et proximum offensam emendare non vis, sed amplioribus flagiciis implicaris dum divinam ultionem obstinato animo minime formidas. Tum ob inobediencie scelus Deus tibi infestus, qui non solum mortalium opera, ceterum mentes, unde ortum sumant

Var. : (A) A B *mittius*.

antequam fiant, lucide considerat, te, divine monitionis contemptorem, per cruorem et nephas alienum imperium usurpantem severius inopinate ulciscitur. O preclara et appetenda per raptum, incendium, sacrilegium, cruorem et scelestam conjurationem quesita regni possessio, tamdiu duratura quamdiu ferro furenti tutari potest! Hec ardua quanto cruore copiosiori queratur, eo ingentiori formidine et discrimine perniciosiori retinetur. Et persepius accidit quod violentus alterius regni usurpator, qualem habet introitum, talem aut detestabiliorem exitum consequitur; et una vite interitu hora substrahitur quod per infaustos dies nequiter fuerit congestum. Et hec Henricus, libidine dominandi cecus, minus animadvertit.

CAPITULUM UNDECIMUM

Qualiter comes de Aumalia Anglicos, Andegaviam depopulantes et populum in Dei cultu et sacramentorum receptione tempore sancte Quadragesime turbantes, in prelio Gravelle devicit.

198. Idem nephas in Cristi ecclesie transquillitatem et fidelium animarum salutem comes de Syffort, heros de Pulla, perpetrans, bis iterata omnium fortunarum agrestium rapacitate Andegavos versus Britanie fines in Ligerim agros exarsit. Nam miserrimum vulgus, cum sancte religionis institutis cordis amaritudine in Deum et proximum commissa plangere jube[illegible] Deserta animarum cura, turbatis animis infestis[illegible]rum (A) an-

Var. : (A) C *corporum.*

gorem, omnium bonorum exicium et calamitosam patrie direptionem plorare urgetur. Dilatatam enim tanti sceleris vindictam iste sacrilegus sancte Quadragesime violator non effugit. Porro cum raptum omne pecus abigeret et in Northmaniam opulentam arvorum predam transducere niteretur, strenuissimus comes de Aumallia, consilio et armis optimus, collecto ex Northmania profugorum et patrie nobilium exercitu, in vastis saltibus Brociniacis, non longe a Gravelle pago, istum predonem spoliis agrorum onustum assequitur. Ac magnanimus comes ex una et altera parte baro de Collunciis, bello acerrimus, exercitum Anglorum jamque militari ordine instructum, magna vi aggrediuntur, valida manu sauciant, fundunt, et absque Gallorum strage sceleratissimos sacre transquillitatis turbatores copia non modica interimunt. Ex flagiciosissimis satellitibus mille et circiter quingenti stricto gladio confossi a rapina ulteriori substrahuntur; et ipse sacrilegus predonum ductor captivus vinclis conjectus mancipatur; et coloni a vinculorum tortura soluti, letitantes ad propria tiguria, et armenta rapta, manibus predonum erepta, ad caules redeunt.

CAPITULUM DUODECIMUM

De sacrilega ecclesie de Cleriaco expoliatione, et de succursu Puelle, et miraculosa obsidionis Anglorum expugnatione, et de inopinata regis Karoli Francie coronatione.

199. Anglica gens rapax, gens sacrilega, cum immanibus undenis arcibus illam fide et armis perspicuam

urbem, regni conservatricem Aurelianis obsessam [oppugnare] (1) tibi gravissimus labor erat, celeberrimum variis et infinitis miraculis illustratum nostre domine virginis Marie de Cleriaco templum sacris donariis et pagum prophanis depredari audax fuisti. Exinde omnia infausta tibi, sacrilege, procedunt. Nempe ille truculentus comes Salberiensis, crude obsidionis director, e pontis arcis fenestra intus reconditus, splendidam urbis compositionem prospectans, ab ignoto auctore, quamquam quidam aiunt a juvene jactato, plaga, qua percussus occubuit, letifere sauciatur. Hoc extincto bellorum ductore, obsidentium animi industria et corporis vigor extincti marcescunt.

200. Ad ultimum strenuissima Puella, viriles animum ac habitum, ut belli expeditio sibi divinitus commissa necessario urgebat, induta, re militari, non ab homine, ceterum a Deo imbuta, ad tuam efferatam proterviam confundendam e celo collapsa est. Immanitatem tuarum arcium horrendam, primo illius pontis, si regum potencia, si nationum multitudo in ipsam dimicaret, scuto et lancea inexpugnabilis ; deinceps alterius Sancti-Lupi, inaudito assultu mortalium viribus prestantiori, militantibus Anglicis intus stratis, absque sanguine Gallico funditus evertit. Alii ceterarum custodes, tanta clade inopinata perterriti, suas munitiones non insultu adeundas, fuga turpiter arrepta, victrici Puelle cedunt. Hec armipotens, celesti subsidio freta, gressu properato incedens, rure Patheaco assecutos medios per hostes ruit ferocissimos. Mirum ! velut inepta membra et manus abcissas gererent, corpore robusti et bello exercitatissimi invasi

(1) Nous rétablissons, à l'exemple de M. Stevenson, ce mot qui semble avoir été oublié.

minus reluctantes truncantur, ac alii huc illuc per sepes et dumos fusi miseranda cede, ut porci ad macellum expositi, non dico a militibus, verum a rusticis bello inexpertis trucidantur. Hoc prelio confecto, in prevalidam Gergolii supra Ligerim munitionem, facile cum parva manu ab hostibus tutandam, hec strenuissima bellatrix insultu aggreditur; in quo barbaros octingentos repertos arcu et gladio ferocissimos, omnes aut cesos vel captos incredibili et plusquam humana armorum virtute perdomuit. Ante salutarem istius Puelle succursum, tanta rei adverse turbatio ac diffidencia a regni tuitione pugnatura in ferocissimos aggressores fidelium, etiam Delphini, animos labefactos depressit, quod urbe subacta, omni spe subsidii destitute cetere civitates et castra, presertim supra Ligerim constituta, victori hosti cessura erant. Nec alio opportuniore medio, nisi patria deserta, domini Delphini salutem consiliarii tanta mali asperitate perplexi opinantur. Verum hec Puella Sancto Spiritu monita ac divino fervore accensa infortunii lapsum sua prestantissima virtute reparans, per mediam hostium confertissimorum ferocitatem Karolum, tunc Delphinum, celesti oleo consecrandum, Remis transduxit; et qui modo nephanda suorum conjuratione à regno exheredatus velut corone hostis, a perfidis impugnatur, nunc providencia divina sacro dyademate redimitus, verus et legitimus [s]ceptri heres magnificum in regem sublimatur.

CAPITULUM TERTIUM DECIMUM

De crudelitate comitis de Yrundineto et sacrilegio, et de preclara in ipsum Gallorum victoria, et ejus calamitosa morte.

201. Sacrilegus insignis, comes de Yrundineto, crudelitate efferata et infausto exitu posteros tyrannos terreat ne colonorum strage, agrorum depopulatione et sacrilegiis in sui exicium celestem iram exacerbent. Porro iste truculentissimus comes cum ingenti barbarorum ferocia in Vastino Milliacum ferro, flamma invadit. Populus utriusque sexus ac parvuli, implacabilem ejus furorem formidantes, infra sacram nostre Domine basilicam, et opidani in castro se conferunt. Mulieres, pueri ac viri evo imbecilles turrem ascendunt; robusti ad tutelam templi inferius remanent. Hic fera truculentior templum acerbius impugnat, ac populus infra recollectus virilius aggressoribus obsistunt. Barbari, acri retrusione infensi, furiata rabie, ligone templi murum et tectum igne petunt; accensa enim templi superficies in turrem ignitas faces evomit. Ligneam turris acum flamma populante, inclusi quid agant tanto malo involuti nesciunt. Undique incendio circumventi nec deorsum, nec seorsum, absque concremationis periculo ignes evitare possunt. Jamque tectura plumbi in guttis ardentibus resoluta miserrimos compluit et campanarum metallum supra eos liquescit. Inter quos est una pia mater, Nicolai Surdi uxor, quemdam lactentem puerum amplectens, quem cum zona collo alligans a culmine masse turris

lapidec, circiter cubitorum septuaginta altitudinis, se et tenerum pondus in fossata aquis cumulata projecit. Hec Dei auxilio freta ignium flammas et unde submersionem salva cum sarcina evasit. Adhuc vivit pia mater, adhuc vivit dilectus filius. Ceteri a turre precipitati, quidam ab integro corpus exuritur, alius membra cassatur; hic media in unda submersus ex[h]alat animam; alter fractis ossibus inutilis a barbaro trucidatur. Horrendum sacrilegium! combusta turris summitas dissoluta partim in foveas, partim supra templi tecta; trabes enim accense supra testudines, et ignium violencia dissolute in templi pavimentum corruunt. Quantum cladis illa dies pestifera Milliaco attulerit non est facile scriptis exprimere. Nedum illud sceleratissimum incendium sacram edem, ceterum universas pagorum amplissimorum domos plusquam numero septingentas conflagravit. Omnes miserrimi incole, terrarum cultores, ideo [quod] comitis invasioni resisterunt, per ferocem tyrannum funium suspendio adjudicantur; inter quos unus innocentissimus et simplex colonus, ne convicinorum exicium videret, primum suspendi funestum tortorem attentius rogavit, quod a tyranno innodatus laqueo obtinuit. Interim unus dampnatorum cuidam Anglico in aure non laboratores sed capitaneum resistenciam fecisse suggerit. Exinde barbarus hoc comiti sanguinolento insinuat. Protinus capitaneum sisti imperat. Postremo audita eorum altercatione ab ulteriori suspendio laboratores absolvit, et sentencia correcta, prisonarios fore hos decrevit, et capitaneum laqueo jugulari condampnat.

202. Ab isto nephando sacrilegio nequissimus tyrannus in communitatis hominum Algei et Belciaci stragem, qui Karolum suum regem, barbaris expulsis, introducere nisi fuerant, cladiferam gladii rabiem convertit; quo-

rum cruoris unda per millia corporum cadavera inhumanus madefactam terram inebriavit. Deinceps impiissimus rei publice direptor violentissimo et barbariori impetu ab occasu in solis ortum Andegaviam percurrens, a colonis cesis et conjectis vinclis, et ab omni pecudum armento radicitus agros depopulatur. A tam cruento rei publice exicio revertens, hic, hominum cedis ardentissimus, relatum accepit universam vulgi Caleti communitatem raptis armis contra Anglie ditionem surrexisse. Tum iracundus comes furenti animo Deum et sanctum Georgium attestatur se nunquam velamine superbas cervices coopertürum donec istam hominum communitatem sanguinolento ferro penitus absumpserit. Hoc voto sceleratissimo concitus, novem satellitum ab omni parte collectorum millia ductans, turbulento impetu Rothomagum properat.

203. Interea prestantissimi bellorum duces *La Hyre*, Ponthus de Santrailles et Rigaudus heros de *Fontanis*, castrum Patuli-Regis, in Anglorum obediencia demolitum, reparare laborant; tricentos umbones cum totidem gesis mortiferis secum adducunt. Et ut *La Hyre* futuri periculi providus erat, infra fossata dumorum densitate cooperta latentem exitum, scisso aggere, longe a porta retro aperire facit, ideo quod fores non obstruunt castri ingressum. Ex transverso quadrige insimul connexe et tabulata implicata aggressoribus officiunt. Prescriptum enim bellorum duces cum quingentis armatis de post triduum Patuli-Regis opidum fortificare incepisse comiti in prandio nunciatur; et ex quadam furia commotus a se mensam dapibus oneratam evolvit (sic) sic : « Isti homuniachi infra hoc ruinosum opidum clausere et vicinalibus invalide munitum non difficile capi poterunt, « propterea quod hii sunt armis formidolosi. [illegible]

« plicium Patuli luant, sumpta pena ceteros perterrebit, « ne de cetero infra nostre obedencie terminos collocare « munitiones audeant. » Et ob hoc Deo et sancto Georgio vovet se quietem non sumpturum donec ut fera obsidione inclusos circumdederit, et hos perdomitos laqueis suffocarit (A), nec uni parcet se facturum jurat. Et ob istius temerarii juramenti exsecutionem, unam funium sarcinam preparari et ballivum Ebroicum Anglum secum ferre precipit. Hic impiger, ad sui et suorum exicium preceps, equitatu furia vindicte accelerato, post meridiem hora secunda ante Patulum-Regis desudans appulit, et extimplo porte tricentis plures viros bello electos excubantes collocat. Barbari enim appulsi opidanis laqueos ostentant, et cruciatum latrunculorum suspendii inferre minantur. Opidani vero, se cladibus involvi considerantes capitaneis inquiunt : « Vobis et nobis turpissimam mor- « tem conjuratam videmus. Vestra perditione publicam « regni tuitionem quamplurimum enervari, verum in « nostra haud continget. Vos ab hiis periculis eruti alios « stipendarios nobis bello prestantiores facile coadunare « poteritis ; ceterum si nos hanc cladem evadere et vos « obrui auceps (B) belli fortuna daret, nunquam tam doc- « tos, nunquam tam strenuos armatorum duces habere- « mus. Vobis acres equi presidio assunt, quibus vectos « medios per hostes vos salvari oportet, et nos reman- « suri, antequam iste truculentissimus siccarius suppli- « cio preparato nos cruciet, acerrime nostram necem ulcis- « cemur. »

204. Ac La Hyre, in adversa firmissimus et consultus in opinata pericula, omnium capitaneorum sui evi princeps, acri ingenio et impigro corpore, cum hylari vultu

Var. : (A) A B *suffocari;* (B) A *auceps.*

et imperterrito animo, suos commilitones alloquitur : « Ut vos, fortissimi viri, ingruentibus et summis peri- « culis versatos, mortis formidine impulsi derelictos « habeamus, vestra strenue gesta et amplissima in nobis « benivolencia non promeruerunt. Si quis honor, si « qua belli gloria nobis adest, non ex nostra sed vestra « preclara virtute totum procedit. Nam sicut animorum « prestancia et invi[c]to corporis robore res ardue feliciter « in adversis geste vos viros fortes et fidissimos nobis « conjunxerunt, sic instantium periculorum magnitudo « nos vestros capitaneos vite et necis consortes vobis « conjunget (A). Memores enim pristine virtutis, animo « fortes et corpore expediti sitis. Nec vos ista multitudo « barbarorum inordinata et furiosa istius superbi comi- « tis aggressio (non) terreat. Vestra fides et prestantis- « sima virtus variis tempestatibus michi probata per- « suadet nos hodierno die pulcherrimam, hoc comite » triumphato, victoriam consecuturos, si meo consilio, « ut alias semper fecistis, obtemperare velitis. Profecto « hic comes elatus, furia ductus, immoderate et minus « discrete equitans, suis armatis gravissimo itineris « pondere oppressis quamplurimum dimicandi vigorem « abstulit. Hic presumptuosus, in sua multitudine con- « fidens, nostras vires cassas et inanes, ymo nullas, « suarum collatione censet; quam ob rem nichil invasionis « suspicantes, ut cibo et sompno fatigatos hostes se « recreent, nunc securi deponunt arma. Ideo mea sen- « tencia est ut nos modo ipsos inhermes et lassos (B) acer- « rime aggrediamur; et antequam in armis parentur, « nostra invadendi celeritas hos incautos ex improviso (C) « aggressos obruerit. Alanus de Montieraulier, fortis

Var. : (A) A B C *conjungent*; (B) A B C *lapsos*; (C) A *improvisso*.

« miles, et Johannes Des Bordes pedestres cum intenta « et expedita octoginta virorum cohorte vigiles primi « invadent, et universos excubantes manu valida inte« rimere nitentur. Ponthus, Rigaudus de Fontanis et « ego, equestres per oc[c]ultum tramitem exiemus, et « horrifero tubarum clangore, arcu, geso et hasta hostes « petemus. In hoc loco, fratres fidissimi, diu stare, tum « castrum demolitum, tum alimentorum egestas pro« hibent. Nec cruentus iste comes, qui nostram mortem « conjuravit, nos victos ad deditionem (non) accipiet ut « vita salva sit, sed gula laqueo frangatur. Forsan nos ca« pitanei patibulum, auro soluto, redimere poterimus, sed « vos nequaquam. Propterea salutis desperatio et extrema « necessitudo, que timidos audaces facit ingruenti mortis « discrimine, contra nostre mortis conspiratores invic« tissima virtute ferro dimicare cogunt. Mementote, viri « fortissimi, si imperterriti vitam et egregium trium« phum, si pavefacti dimicemus, ignominiosam necem « et luctuosum in armis exitum nost[r]is dextris portare. « Videte ne inulti vitam perdamus, ne veluti latrunculi « patibulo suspensi cruciemur. Vos moneo, vos ex[h]or« tor, viri fortissimi, si quid industrie, si quid animosi« tatis nobis adest, quod hic presumptuosus comes, qui « antequam cum hoste conflixerit sibi temerarie vic« toriam attribuit, pretensa cuspide nostrorum gladio« rum sentiat quod non ut latrunculos, sed ut viros « armis instructos aggredi, nec supplicio furum, verum « lege militum et jure belli nos captos tractare debe« bat. » Hic ad celum oculos erigit, inquiens : « O « summe Deus ! pone quod tu sis La Hyre et La Hyre « sit Deus ; in hoc prelii articulo e celo michi in extre« mo laboranti opem confer, sicut tu velles in hoc « conflictu te adjuvarem. »

205. Jubet quod unusquisque alteri confiteatur. In propatulo commilitonibus dollium vini fundo abdicato directum communicat. Alanus de Montieraulier et Johannes Des Bordes, armis strenuissimi, pedestres alacri et infatigata manu Anglos excubantes acerbius invadunt; ac pugna preparati vigiles forti et audaci pectore Gallis aggressoribus resistunt. Mortifer et incredibilis ab utraque parte crudelissimus conflictus insanit. Ad extremum nostri salute desperati, multiplicatis animorum et corporum viribus, octoginta plusquam tricentos Anglos bello exercitatissimos interimunt. Hec turba mira fortitudine prostrata Gallorum animos in ampliorem victoriam erigit, et Anglorum mentem perterritam in calamitosam fortunam deprimit.

206. Interea La Hyre, Ponthus et Gauffridus absconso tramite a fortalicio egrediuntur; et dum equestres hostibus appropinquant, terrifico tubarum clangore et furioso equitatu, vibratis lancearum, arcuum, et gesorum cuspide et acumine inconsultos hostes turbant, sauciant et confodiunt. Et tanta Gallorum acerbitas improvisos Anglos opprimit quod, nec repercutiendi invasores, nec conserendi manus ad conflictum licenciam habent. Primo aggressu Ebroici ballivi cohortem quingentorum ab integro necant. Inter spolia laqueorum sarcinam reperiunt. Galli indefessi trepidantes Anglos ad dextram et sinistram inclementi manu perimunt. Ceteri vero sorte prelii adversa perterriti, armis abjectis, per sepes et nemora se feda fuga salvare nituntur; verum La Hyre equestris — nullus acrior equitatu — maximo impetu hos fugientes opprimit, et cesorum cadaveribus fossata cumulat; et usque in portas Gorniachi fugam prosequens itinera cruore rubentia obtegit.

207. Et dum hostium fugacium prosecutio agitur,

Ponthus et Rigaudus contra comitem et ducentos Anglos a tergo quadam sepe clausos acerrime dimicant. Postremo a colubrine ictu glande plumbea comes tybiam graviter vulneratus se victum reddit, et captivus Belvaci ductus incarceratur. In hoc miraculoso et conflictu strenuo plusquam mille et secenti viri sacrilegi et crudelissimi agrorum et hominum depopulatores obierunt. Et dum hic sacrilegus comes a parva manu se turpiter victum et plusquam quindena virorum in conflictu millia, partim cesa, partim fede fugata considerat, sue sortis adverse impatiens et anxio vulneris dolore erumpnosa morte exspirat.

CAPITULUM QUARTUM DECIMUM

De Anglorum expugnatione et ignominiosa fuga, qui die Martis sancti Pasche sacratissimum beatissimi Dyonisii templum rebus e sacris donariis expoliare nitebantur. Et contra sacrilegos et tyrannos invectiva.

208. Sacrilegium aliud innectam; exinde ad inceptum rediens, in sacrilegorum exemplis finem imponere libebit.

209. Rumore enim ad Anglos deferente Arturum Britanie, cum non parva manu armata in Pontisara appulsum, Francie connestabularium, moliri in urbem Parisiam Sancti-Dyonisii fortalicium refulcire, ob rem sacrilega Anglorum voluntas pagi domos solo equare, populum destruere et sacratissimum templum, non humana sed Dei summi pontificis manu dicatum, pre-

ciosissimis donariis expoliare; hujus tanti facinoris incepti exsecutioni divina severitas vindex celerrimum ferri remedium addit. Porro Thomas de Bellomonte et Thomas Drinc, feroces Anglici, ad tam execrabile flagicium perpetrandum delegati, Parisius profecturi, sacro jejunii tempore ecclesiam de Mengniaco expilatam incendunt. Deinceps nepharium furorem in sacratissimum beatissimi Dyonisii templum luce Martis sancti Pasche exercentes, scrinia in nave deposita cassant, et inibi queque reperta bona rapiunt. Ulterius isti sceleratissimi predones, ad opulentissimum beatorum martirum sacrarium depredandum progredi nituntur.

210. Illa tempestate octoginta latrunculi banniti, absque ducis imperio arma gerentes, quamdam murorum turrem occupant, quorum quatuor Sancto Spiritu impulsi, raptis armis, intellecta templi expoliatione, ad tutelam sacrarii propere accurrunt. Isti predones pii in chori aditu ferro ostium defendentes viriliter obsistunt ne perditissimi sacrilegi ad reliquias beatissimorum martirum immensumque ceterorum donariorum thesaurum expoliandum accedant. Actu enim sacrilegii flagranti, speculator in una templi turre predonibus exicii nuncius indicat ex parte Pontisare ingentem armatorum turbam versus Sanctum-Dyonisium accelerare. Relicta enim templi depredatione, protinus sacrilegi Gallis obviam exeunt; pontis de Labriche transitu Gallis intercludere armis illatis conantur. Ut Galli primi cursores ad conflictum paratam barbarorum multitudinem, uti mille et ducentos, in pontis custodia pedites conspectu habuerunt, retrogressi, formidine perculsi, ceteros terrentes fugiunt. Tum heroes de Insula et de Moy suorum fedam fugam aspere increpant, minis, verbere, prede et honoris [h]ortatu ad hostes absumendos reverti urgent.

In Pontisara ad connestabularium ut celeret ad opem deferendum mittunt. Pedestres enim Galli bello instructi acerrimo congressu Anglos irrumpunt; ac barbari contra crebro sagittarum volatu et robusta manu pontis introitum tutantur. Ac Galli indefessi per jacula ruentes dempsissima, alacri corporum vigore et ferventissima animi magnitudine Anglos pontis defensores obruunt. Transitu vero vi armorum a Gallis superato, non absque magna barbarorum strage, ceteri Anglici huc illuc dispersi versus Parisius fugam arripiunt; Galli alacres equos scandunt.

211. Interea Arthurus Britanie sudantibus caballis cum non modica bellatorum cohorte illuc appulit. Equestres Galli fugientium terga ferri acumine fatigant, per turmas diversos interimunt; hic denos, illic quaternos, et in Sancti-Laurentii pago tres occidendo sacrilegos, in Parisias portas et fossata prosequntur. In hac fedissima fuga octingenti ferro sanctissimorum martirum injuriarum vindice assumpti sacrilegi corruerunt.

212. Inter captivos unus nomine Brichanteau, Symonis Mohyer Parisiensis prepositi nepos, crudelissimus gladiator, quemlibet colonum interimere assuetus, a quodam viticola, ceterorum laboratorum necem vindicando, cum ligone, ut porcus, trucidatur. Cesis fugatisque sacrilegis, connestabularius sacratissimam beatissimi Dyonisii basilicam, ut Deo et sanctis martiribus devotissimas agant gracias, visitatum maturat. Latrunculorum turrem occupantium partem cedunt, partem funibus vinciunt, et duntaxat quatuor, qui a sacrilegorum expoliatione beatissimorum martirum sacrarium defenderunt, a vinclis et strage intacti et sua salva bona evadunt.

213. Postremo hoc hodiernum bellum, Anglia, ymo

predonicam patrie direptionem, villa Fulgeris clam intercepta, fractis regum et canonum treugis, sacro Quadragenario jejunio Cristi cruore consecrato, gerere incepisti. Ac eodem revoluto anno Valloniarum opidum obsessisti, atque tui funesti grassatores scelerate prede avidissimi agros depopulantur; sacra vasa et ornamenta Divino misterio dedicata templis aufferunt. Et hoc conflictu secuto, a tuis sacrilegis ubique ignave, remisse, et Forminiaco rure infeliciter certatum est. O bellorum principes! si sacra templa depredari, si ecclesiarum immunitatem violare, si ferro seviente agros depopulari vos gladiatores contingat, non felici victoria in hostes potiri, verum severa vindicta vestras personas, vestras acies confundi, ob sceleratissimum nephas expectate. Porro sancti ac beati Spiritus, in quorum honore basilice injuriis affecte consecrantur, in facinorosos earum depredatores apud Supremum Judicem vindictam exclamant. Tum ob instantem sanctorum querimoniam et atrocem sue Sponse injuriam ira lacessitus, nedum stricto mortalium gladio, verum transmisso celestium militum exercitu, et sancte religionis contemptores acerrime ulciscitur, et agricultorum tyrannide oppressorum acerbissimam vindictam facit. Hec duo hominum genera, ecclesiastici et coloni, templa et arva, cum rebus perpetua humano et divino jure concessa securitate a bellorum incursionibus letari institutum est. Et qui altaris ministros injuriose tangit, sacratissimam Cristi pupillam attingit, quibus nocumentum Deus illatum nunquam dimittit inultum, et sepius propter unius sacrilegium, si belli princeps ultimo supplicio ferire negligat, universus deperit exercitus. Et qui imbelle agricolas jugi labore exercitata frugum instrumenta carcere vel cede in opere rustico vexat, Deum, rerum Pa-

trem, et universos mortales atrocius ledit, a quibus Cristi sacerdotes decimas, pauperum alimoniam, orbis principes annuos census, militum stipendia et omnium fructuum terre usum humane vite suffragium percipiunt.

214. Eapropter tanta publici facinoris atrocitate divina severitas lacessita, de excelso depopulationem agrorum in terram prospiciens, colonorum gemitum exaudit, et ut a tyrannide filios interemptorum solvat et a rusticis destitutam agriculturam reintegret, pestiferum tyrannorum brachium, quod agros depopulatum est, pagos flagravit, innocentium cruorem effudit, et sacra templa donariis exuit, dum dimicare innititur, invisa manu frangit. Hinc jamque celesti conflictu prostratos pauci mortales innumeram sacrilegorum multitudinem debellare videntur, atque humana legum sanctio divinitus ore principum promulgata hoc publicum crimen tanto odio prosequitur quod cuilibet mortalium privato agrorum depopulatorem flagicio deprehensum impune occidere permittit. Igitur ut non summus pontifex viri bella gesturi tabe anathematis brachiorum in hostes confligentium nervos inficiat, erumpnose mortis formido vos terreat, ne in colonos ad agros depopulandum, ne in clerum ad Dei ecclesie immunitatem violandum et ad sacra templa spoliandum, scelesta prede cupido manus violentas injicere audeat. Et si non recentibus nostri evi, saltem antiquis exemplis sacrilegos et divini cultus ac ecclesie libertatis turbatores ignominiosa morte semper perituros accipite.

215. Nam cum superbus Nychanor ab Hebreis humiliter rogaretur ut diei Sabbati sanctificationi deferre vellet, ab ipsis cum indignanti arrogancia sci[s]citatur an Ille, qui talem diem venerari imperat, potens esset?

Responso enim accepto quod Deus in celo summe potens erat, aspernator divine Majestatis inquit : « Et « ego supra terram potens sum, qui arma sumi impero. » Exinde propter Dei contemptum et divini cultus turbationem a Juda Machabeo turpiter devictus, dextra, quam in Dei templum superbe erexerat, et, cervicibus truncatis, infausta morte vitam exterminavit. Atque Balthasar, rex Babilonie, Dei contemptor, qui sacrilego ausu in quodam convivio templi vasa vinum hauriens prophanavit, a Cyro, rege Persarum, cruento ferro necatur, et propter divine religionis contaminationem ad exteros ejus regnum translatum est. Jullius enim Cesar suis commilitonibus ne delubra violarent certo tempore strictius inhibuit, et continuo bini cursu anni in hostes feliciter triumphavit ; verum spreta religione, Delphicum templum depredatus est, et postea adversa bellorum sorte inimicis sepius succubuit. Ergo, deicole principes, si secundis bellorum successibus letari et cum amplitudine dominiorum prospere regnare velitis, ad divinum cultum et templorum reparationem, que scelerata Henrici guerre iniquitas destruxit, quamprimum solicitam curam habete.

216. Profecto Constantinus tantum fervorem, tantam venerationem erga divinum cultum gessit quod, dum ad prelia proficisci contingeret, quoddam tabernaculum ad ecclesie instar constructum ferre, et sacre religionis ministros divinum servicium celebrantes sese comitari, ac imperialis vexilli loco salutifere Crucis signum dextera gerere consuetus erat. Et revelatum divinitus habere meruit ob admirabilem sancte Crucis virtutem viribus humanis indomitos hostes superasse. Ac Robertus, rex Francorum, summus musicus et devotissimus Cristiane religionis cultor, cum istud celeste canticum, « Agnus

Dei, » chorum tenens in sanctissimi Agniani sollemnitate inciperet, angelico subsidio obsessi cujusdam castri muri corruerunt ; ac a divini servicii celebratione reversus opidanos hostes in sua ditione victosrecepit. Cyrus (A) enim, Persarum rex, Babilone urbe destructa, Judeos captivitate compeditos, fracto servitutis vinculo, et consecrata divino cultui vasa ad Judeam remisit, ac Templum dejectum reparari mandavit, et propter summam venerationem et virtutum opera, que exacta diligencia circa divinum cultum et peculiarem Dei populum ac Templi bellorum vastitate, restaurationem gessit, totius Orientis monarchiam obtinuit. Romulus enim, Urbis conditor, primo regiminis anno, quamdam Divinam esse Naturam superiorem, quam humana inferior natura honore summo venerari tenetur, animo cognoscens, ad sui imperii conservationem ob ignoti Numinis reverenciam asillum construxit, quod Templum Pacis nominans variis et amplissimis donariis ac singularissimis prerogativisdotavit. Profecto tante securitatis asillum esse decrevit, quod omnes scelerati, cujuscumque facinoris rei essent, ad illum fugientes, a nullo retrahi valerent; et insuper hoc asillum miseris succurrens ab omnium bellorum invasione perpetua immunitate quietum teneri censuit. Cur Romani principes, cum de Summo Deo, rerum Patre, veram cognitionem non haberent, ad divinam religionem tantum curam gerebant? Cycero, testis locuples, ait : « Nichil religione preclarius, nempe « pontifices divinum cultum bene agendo et religionem ex « religione sapienter interpretando rem publicam conser« vant, et ob religionis et ejus cerimoniarum obser« vanciam, hanc terrarum omnium arcem tenuimus et « ceteris rebus aucti sumus. »

Var. : (A) A *Syrus*.

217. Hec sentencia sacris exemplis confirmatur. Verum Salomon in regem assumptus, in Ebron descendens, sacrificiis et holocaustis devoto spiritu et sollerti studio divinam curam gessit, et propter pietatis culturam summam sapienciam pre cunctis mortalibus divinitus infusam et labore acquisitam habere meruit, et ex pietatis cultu et summe sapiencie studio in diviciis, honore et bellorum gloria universos orbis reges sui evi antecellit. Et cum a divina religione lapsus est in ydololatriam, infinitam calamitatem et regnum ejus vastam direptionem absque resistencia passi sunt.

218. Quid plura scriptis inseram? Singulas hystorias scrutare, et compertum habebis quod ubicumque vera principum religio divinum cultum et sapiencie studium, veritatis lumen ac justicia inflexum legum vigorem transtulerint, ibi mundanam felicitatem et preclaras secum traxerint potestates. Nec a fide est alienum, ut tantum durationis monarchie felices accipiunt, et in excelsum triumphis magnificis regum majestates extolluntur, quantum circa divinum cultum officiose et sapiencie lumine illustrate permanent, et equitatis recto tramite diriguntur. Quis non novit Romanam majestatem circa religionem et litterarum studium solicitam, aliarum gentium victricem, super amplissimi senatus ordinem et sublime legum tribunal residere collocatam, dum orbi terrarum dominabatur? Quibus evulsis, Romanorum mundi (A) gloria corruit potestas.

219. Et quid, principes strenuissimi, de nostro dicemus imperio, quod illibata Catholica religio ac divinarum et humanarum litterarum studium et justicie rigor omnium effecit excellentissimum? Profecto dum sanc-

Var. : (A) A mondi.

titas principum ferventem operam dedit Catholice religioni, dum eorum prudencia bonarum artium studium privilegiis dotavit et ab injuriis quietum protexit, ac illibatam justicie observanciam eque cuilibet ministravit, eorum Francorum majestas super eternum orthodoxe fidei templum et super consecratum totius equitatis tribunal constituta, Romana triumphis non minus gloriosa, sed Cristi fide prestancior, floruit, regnorum decus, ecclesie salus, religionis sacrarium, triumphorum honor et justicie totius profugium. Sed neglecto fidei cultu, deserto sapiencie studio et fracto legum vigore, nostra res publica retroacta bellorum iniquitate miserrime lacerata, fere ultimum passa est exicium, quam (A) Karoli animi magnitudo parumper respirare fecit. Verum pie religionis observancia in Deum et bonarum artium studii reintegratio pace conservata, ac stricta justicie severitas in flagiciosos consummate, nec alias resuscitabuntur.

CAPITULUM QUINTUM DECIMUM

Qualiter actor ad consummationem prelii Forminiaci texendam redit.

220. Ad sacrilegia, vulgi oppressionem et agrorum direptionem reprimendum disgressus ad inceptum redeo.

221. Quamplurimi ab hospitibus in campestribus villis, qui ad pugne discrimen non processerant, et in fuga, itinere et paludibus interfecti sunt. Augures vero

Var. : (A) B *quod*.

Anglorum jampridem, ut quidam litterati asserunt, presagiere affuturum sanguinem eorum a Gallorum manu fore Valloniis effundendum. Hujus vaticinii tremore soliciti Valloniarum opidum et Constantini arva occius fugerunt; et sic tenebrosa augurii obscuritate delusi, ut certa evasis periculis salute potiendi spe ducti, rus Valloniarum, prophanum suorum cadaverum sepulcrum, sue sortis adverse ignari, adeunt. Nempe evenit illustrem comitem de Claromonte ceterosque bellorum principes ypepa hospitari et ejus rure acies construi, quod vicinia Vallonias appellat. A quo prevalida Gallorum agilitas prorumpens rure Forminiaco, divino auxilio freta, vires Anglorum robustas prostravit. Galli enim victores in conflictus campo pernoctantes cadavera occisorum spoliis nudata quinis (B) speluncis inhumari fecerunt. Multi vero captivi misera avaricia irretiti, licet aurum lodicibus insutum tenerent, a carcere corpora redimere dissimulantes, unus jugulatur, alter cum auro in flumine precipitatur.

CAPITULUM DECIMUM SEXTUM

Qualiter magnanimo Britonum duce atrocissima obsidione urbem Abricensem infestante, capitanei uxor, habitu muliebri deposito, ducis belli officium usu[r]pat, et demum victa opidanis sibi inherentibus, baculo in manu, cunctis fortunis relictis, abeuntibus, duci urbem reddere compellitur.

222. Hoc Forminiaco bello confecto, villam et castrum Virie, omnibus rebus munitum, Henricus de

Var. : (A) A B *quinnis*.

Northbery, captivus eorum capitaneus, Gallis triumphantibus in deditionem concessit. Proinde Francie connestabularius et comes de Lavalle aliique proceres ad magnanimum Britanie ducem Franciscum, acerba obsidione Abricas molestantem, profecti sunt. Ante indomitum ducis aggressum opidani, ne hostibus tecta prestarent, suburbanas domos, fortalicii aggere (A) circumsitas, flammis consumpserunt. A quadam ede flagrata, in montis ascensu, satis longe a muris constructa, fax in forma trabis ignita, menia transiliens, supra quamdam domum juxta sanctissimi Andree basilicam lapsa est, quam et contiguas edes funditus accendit. Universa enim civitas casu inopino conturbata stupet unde incendium ortum sumpsit. Angligene vero sinistra suspectione interpretati ad sui proditionem viros ecclesiasticos hoc scelus perpetratum conspirasse astruunt, et in ipsos rapto ferro sevire concitantur, dum quidam Anglus hanc tedam ab extra per aerem, ut muris excubans prospexit, volare testatur, ob rem furia precipites ab innocentium exicio manus cruentas retraxerunt.

223. Ab uno exempti periculo cives gravius incidunt in aliud. Dux enim magnanimus stricto ferro urbem constringit obsessam; per muros fulminibus dejectos difficilem sibi preparat ingressum. Hanc viam, quam per portas pacto concessam, armis mavult sibi aperire. Succursus enim spe destitutus Anglus capitaneus, capta insultu urbe ne opidani commilitones mactentur et omnes fortune in predam hosti cedant, eminenti calamitati occurrere deditione urbis transacta molitur. Cui effera ejus lecti consortis temeritas, viri audacia superior, obviam insurgit; ac illa inquit, « Anglie probitati absit quod ex uno latere

Var. : (A) A B C *aggeres*.

« civitas invia et a fronte fossis, aggeribus et muris altis « inadibilis, ac quingentis viris bello instructis, nullis in « Northmania magis, defensa, sine duro conflictu hosti « reddatur. Nec tam munita urbs, nisi per pusillani- « mem custodientium ignaviam, ab adversariis supe- « randa venit. » Pars armatorum major, conjuge spreto tanquam ignavo, hanc in bello ducem acceptant. Hec muliebrem pudorem et vestem exuit, et virilem audaciam et habitum induit. Vitta posita, capello effrontem verticem contegit, et sumpto baculo capitanei officium usurpat. Lapsos armatorum erigit animos, et ut formidabilis ducis precepta vigilantius exsequitur, per ecclesiasticorum hospicia et civium domos decurrit. Hos cogit invitos arma capescere, muris et vigiles excubias, ac ubique urbis propugnatores constituit; arcu, balista et colubrina menia defendere et hostes infestare imperat.

224. Ac dux impavidus adverso Marte lacessitus in hostes furit, ac impensius semit(t)as subterreneas effodit; crebrissimis tormentis implacabilibus muros conquatere lapidibusque vi fulminis jaculatis diverso loco evulsos humi ruere facit. Et jam robusti Britones in fossis hospitati feroci virtute menia aggredi et valida manu dimicare seviunt. Exinde territi instantis eversionis formidine cives concussi voce tristi et lugubri vultu ad mulierem effrenatam Anglicosque clamant: « Nunc temporis « nostre saluti consultum necessitudo ire cogit. Nullo « sexus et etatis discrimine strage inhumana periemus « universi. »

225. Postremo licet ingrati Anglici a duce magnanimo [ad] cedem seu minus ad vincula parati ad compositionem recipi instanter postulant. Quibus in extrema articuli necessitate laborantibus, illa calida et subdola

mulier, exuto ferro et armis fraudis indutis, compta et splendida veste corpus elegans et ornatu puellarum molli et elaborato cervices redimita, preter modum formosa, cujus variarum rerum arte se fingens vultu auxerat pulcritudinem, pro urbis compositione, ymo hostis interitu, ducem etate florentem aggreditur. Proth dolor! dux incautus ejus exornatam venustatem tuendo Veneris igne intrinsecus affectu percaluisse, ac ipsa perfida miscendo principem fervore libidinis ardentem letali veneno intossicasse vulgo fertur; et quem arma barbarica non potuerunt, fraus muliebris virus potione strenuissimum ducem perdomuit. Nunquam, o principes, mulierum externarum, potissime ex parte hostili transmissarum, legationem seu nuncium accepisse, aut cujuscumque servicio vos deputare contingat. Si mollicies feminea virorum delicie, sub quarum mellito sapore venenum latitat, vestras personas tractet, in manu colubris vestra vita ancipite mortis periculo versatur. Judith enim divino misterio Holofernis caput truncat, et a propria sorore fratricida Magnus Alexander venenatus post tot victorias anxia morte turpiter non honore prelio expirat.

226. Ac compositione cum muliere habita, opidanis baculo uno in dextera, loco lancee, subrogato, cunctis, equis ceterisque castrensibus retentis, abire concessit. Post enim hostium impulsionem, eorum hospites et familiaritate juncti multas infestationes, multa incommoda perpessi sunt. Profecto lege deditionis hostium spolia estimata quod sint multo locupletiora, inter victores in predam conferre decretum est. Idcirco armati importune thesauros apud eos assertos recundi exigunt, nec juris ulla repulsio quin in solidum seu majori in parte improbe petita deferre compelluntur.

CAPITULUM SEPTIMUM DECIMUM

Qualiter opidani fortalicii Tumbelene, infortunio illorum Abricarum perterriti, ipsum fortalicium nisi fame inexpugnabile duci absque obsidione, salvis castrensibus, concedunt.

227. Rerum enim egregie gestarum magnitudine non est tam audax, non est tam efferati animi in fortissimo castro constitutus, quin congressu Gallorum operiri tremescat. Nulla armatorum munitio, nullum opidum prevalidum, nulle turres arte et paludibus inviis urbes firmate, tormentorum concussioni, sagittariorum impetui, et militum probitati obstare possint; aut deditione seu insultu, fortalicia priscis militibus inexpugnabilia moderna Karoli prestancia expugnantur; quocumque indefessam militum alacritatem fecerit ruere, incredibilis bellorum prosperitas et secundi eventus Karolum prosequntur. Justis armis humanissime triumphanti opidani quidam expectaturi calamitatis exactorum ab urbe Abricarum consimili tremefacti fortalicium Tumbelene, nequaquam ni famis asperitate superabile, duci clavibus oblatis concedunt. Ut sua apportent castrensia solum paciscuntur. Nam si regum potencia, si nationum multitudo Tumbelene expugnasset, posse subigi ni famis inedia nunquam arbitratus essem. Nam hec insula a sacro Beatissimi Michaelis Monte duobus miliaribus et totidem a proxima terra distans, triplici clausura munita, gurgite pelagi vasto, rupe precisa et ambitu murorum ineluctabili, constructura fulcitur (A). Tum

Var. : (A) A B *fulsitur*.

etsi rupes salo amarissimo circumfundatur, tamen fons aque dulcis ab ejus venis perhenni fluxu scaturiens emanat. Hic locus amenissimus contemplationi deditus, Virginis Alme celebritati consecratur, incolis tutissimum profugium prestaturus.

CAPITULUM OCTAVUM DECIMUM

Qualiter comites Dunensis et Clarimontis ceterique bellorum duces urbem Baiocarum obsidentes, expulsis centum novies Anglicis bello exercitatissimis, omnibus fortunis ereptis, solum uno baculo cuilibet concesso, triumpho magnifico in regis obediencia supposuerunt.

228. Castro enim Virie et villa subactis, conspicuus etate juvenili florens comes de Claromonte ad urbem Baiocarum obsidendam aciem in bello Forminiaco nuperrime victricem detorquet, et ad occiduam plagam Carentonium respicientem in suburbio, multo nobili stipatus considet. Et sollertissimus comes Dunensis ad solis ortum versus Cadomum, et preclara magnatum procerumque multitudo bellicose instructa, armatorum castra locant. Et ardentissimi ac liberalis animi heros de Monteneo, illustris ducis Allaconii exercitus ductor, atque Petrus Lovain, necnon populosa electorum sagittariorum copia, in partem conventus Fratrum Minorum sese militari ordine conserunt. Ab utroque latere urbs insignis potenti obsidione circumcincta tenetur, ac portis Galli ad arma hostes irritantes omnibus instant; et intus centum novies virorum bello prestantissimorum feroci

manu et sollerti cura obsessam urbem tutantur. Et ab extra enea diversa et multa ferrea machina horrifica glandibus saxeis sulphure ignitis muros inquieto fulmine contundunt. Et concussio fulminum inaudita lapidum congeriem compactam decumulat, et labefactam ab ymo in summum menium constructuram radicitus evertit. Jamque Baiocas insultu posse capi certum est; excita Gallorum alacritas, ingressu ad urbem patefacto, non secus exarsit sevire in hostem quam (A) Gallicus canis, lepore ostenso, ruere in predam. Verum temperatissimus locumtenens auctoritate regis ex mente progressa subversionem evitare proponens, edicto publico urbem invadi prohibet, ac inquit : « Piissimus rex noster suam urbem misere « depopulari, ceterum plebe et copiis integram ad suam « ditionem reduci certat. Nec crudelibus sanguinem, « potissime suorum civium, humanum, sed justis armis « hostes ab hac et aliis urbibus propulsare querit. » Nec ut venator canes, visa fera, sic dux belli inflammatum omnium ardorem, conspecto hoste, cohercuit. Quedam armatorum turme, non ex principis edicti spretu, verum immoderato fervore accense, precipites fossis illabuntur, et asperrimo conflictu invasores et opidani ambo valida manu invicem pugnant. Nonnullis (B) inimicorum interfectis et quamplurimis gravissimum sauciatis, a duro certamine paululum quiescunt; viribusque resumptis, Galli alacriores quam ante ferocissimos insultus repetunt. Tum urbis ambiguo direptionis casu versata luctu, terrore et mortis formidine exanguis facies tabescit. Ab utraque parte atrocius pugnatum est, tametsi incursus ex omnium Gallorum principum bellorum jussu vi capta perisset clade miserrima.

Var. : (A) A *quem*; (B) A *Nonullis*.

229. Et tunc lugubrem exitum animadvertens Matheus Goth, urbis capitaneus, et centum novies commilitones bello totius Northmanie acriores, ne torvo Gallorum insultu cum urbe periclitarentur, calamitosam deditionem acceptant, ut fragili baculo dextre quorumlibet accommodato, duntaxat vita reservata, omnibus spoliis exuti (A), pedes ab urbe recedunt, et plusquam tricente mulieres absque parvulis viros expulsos comitantur. Et cum Galli bellorum principes tot viros nobiles, tot mulieres preclaras equitatu destitutos [viderent], humanitate moti ipsorum erumpnose professioni compatiuntur ; et ob singularem nobilitatis favorem quibusdam sortis honestioris quadrupedes concedunt, et ad egregias mulieres parvulosque vehendos quadrigas accommodare faciunt. Hic luctuosus discessus, quamquam hostium, si adesses, ejus erumpna et scalore refertus, internam pietatem prope lacrimas excitasset. Unus genitor infantem cunis vagientem humeris bajulat, aliusque alium paulo validiorem manu conducit. Anglici patres ex patrimoniis profugorum opulente viventes, ac matres indigene earumque liberi procreati et nutriti, expulsi Northmaniam, ut propriam patriam, relinquere merore anxio confecti deplorant. In peregrinam Anglie insulam velut exsules (B) ituri, ad quam, velut ad natale solum, quo (C) nichil dulcius et avidius petitur, jugiter inflammatum gerunt affectum, in quo belli tecta sevi et materies dissentionis perhennis nutritur. O Matheum Goth ! Spoliis agrorum et urbium raptu et tortura exactis tuas fortunas fecisti locupletissimas; an ista afflicti populi oppressione cumulatas armis conservare potes? Quid de tanta preda nunc de Francia fede expulsus in Angliam defers ? Fractis equidem corpo-

Var. : (A) A B C *exute;* (B) A B *insules ;* (C) A *quod.*

ris robore et animi virtute armamentum, equos et quecumque castrensia patrie direptione extorta victori Karolo, ut vitam a stricto gladio redimeres, commissus cessisti; et raptis omnibus exutus, non eques vibratam lanceam manu, sed tenuem stipitem ad tuos penates pedester portas. Pro sorte glorie regni tui extollenda vincula, carceres, vulnera et gravissimos labores noctu dieque tolerasti. Pro tantis rebus angore gestis, tametsi exteriora fortune caduca amisisti, saltem summum virtute premium honorem consecutus es; et labore tot periculis repetito tui principis gratiam et populi Anglici favorem habes, ut beneficiis pro remuneratione elargitis tue calamitati condoleant. Tua enim feda a bello Forminiaco fuga sempiterna ignominie sorde tuam famam, tui nominis estimationem deturpavit. Et quia fugiens preliorum ordines dissolvisse accusaris cuius occasione aiunt conflictum exitum sibi adversum et Gallis prosperum fuisse, et ob hoc tuo principi invisus et a populo implacabili furore concito reversus cede ferocissima necaris. In armis igitur perniciosus tibi, Mathee, labor fuit, qui egestatem non divicias, qui dedecus, non laudem, qui tandem crudele exicium, non vite securitatem attulit. Exitus vite tue miserrimus tyrannum semper emori calamitose ostendit.

CAPITULUM DECIMUM NONUM

Qualiter comites Dunensis et Clarimontis, urbe Baiocarum subacta, expectando connestabularium ad obsidendum Cadomi villam in agris suas acies vivere permittunt. Qualiter a castris Briquebeci et Sancti-Salvatoris et Valloniarum hostes expelluntur.

230. Urbe Baiocarum ab hostibus feliciter exhausta (A), strenui comites Dunensis et de Claromonte ultra Urne flumen exercitus transducunt, venturum Francie connestabularium paulisper expectando ut armis potentissimis Cadomum cingant. Campestribus villis turmas commeatu vesci permittunt. Ac temporis mora gens connestabularii strenue belligerans, Briquebecum castrum in Constantino antique nobilitatis, Bertrandorum opulentam casam, sub regis Karoli obedienciam adduxit. Deinceps Valloniarum opidum regium, totius septi Constantini supremam justicie sedem, impugnat; nec diu intolerabili tormentorum fragore obtusum patitur infestari. Porro turbatis rebus diffidens, vicegerens capitanei castri, Thomas Chisual (B), custos, prestito juramento, regis Francorum in virum fidelem evasit; et sorte rebus adversa examinati ceteri opidani de post ablaturi non presumunt, sed Gallis petitum castrum dedunt. Exinde centum et viginti castrensibus onusti sese in Cesarisburgum, uti tutum et ultimum refugium, concedunt.

Var. : (A) A B *exhaustis*; C *exhaustis*, corr. *exhausta*; (B) C *Chihnal*.

231. Et raptim duo marescali Francie [et Britanie] ad prevalidum castrum Sancti-Salvatoris, paludibus inviis circumclusum, cursu equestri prorumpunt. Ac ingressu unus scutifer, armis eximius, ex Bituria cretus, Blanchifortis nomine, inconsulto tormenti jactu decidit obrutus. Et quamquam ducenti pugnatores experti ad castri protectionem, non insultu nisi fulmine superandum, tamen belli infortunio animis prostrati, corpore, industria, invasoribus obviare non audent. Nichil eruditus militum usus, nichil fosse precipites, nichil prevalida menia prosunt, ubi formido et pavor animorum virtutem frangit. Et continuo heros de Robessart ex Hanonia cretus, qui nedum capitaneum, verum castri, regis Henrici largitione, se dominum gerebat, evo antiquo, ceterum magis ignavia confractus, marescalis opidum tradit, et secum suas gazas apportans cum armatis ad Cesarisburgum refugit.

CAPITULUM VICESIMUM

Qualiter maximis armorum apparatu et principum, procerum et nobilium potencia, villa Cadomi, populo et rebus opulenta, undique circumdata, tam acri et forti obsidione a Gallis impetitur quod, muris partim humi dejectis, velut magnanimitas invadentium cupit, insultu subigi poterat. Et qualiter Karolus, rex clementissimus, qui antea obsidionis apparatum et magnificam ville dispositionem visitaverat, piissima et sanctissima opinione ductus, non vi armorum sed longa obsidione, ne tam potens villa diripiatur, Cadomum subjugandum conclusit.

232. Postmodum duo marescali ab uberrimo frugum, volatilium, piscium et pecorum Constantini septo ce-

dentes, in quoddam villagium nominatum Cheux, quatuor milliaribus prope Cadomum, celeri equitatu provehuntur, in quo Francie connestabularium, comitem de Lavalle, heroem d'Estoutevilla, de Loheac, de Sancta-Severa, de Radiis, Jacobum de Luceburgi militem, comitis Sancti-Pauli germanum, senescalum Pictavie, quamplurimos alios proceres, et non modicam nobilitatem reperire contigit. Exinde bellorum ordine conserti in suburbio Baiocas tendenti infra monasterium Sancti-Stephani, juxta Cadomi menia, castra ponunt. Cum quibus comites de Claromonte, Castrensis, heroes de Monte-Gaugain, de Moy in Belvaco, Robertus de Floques, Ebroicus ballivus, Karolus de La Fayecte, miles, et quatuor cum quingentis sagittariorum et bipenniferorum (A) equitum ac duo electorum a plebe architenentium peditum millia junguntur. Illa luce comes Dunensis, magnus regalis domus magister, marescalusque ejus germanus, heros de Aurivalle, de Monteneo, ducis Allaconii exercitus ductor, prepositus Parisiensis, dominus de Bellomonte, ejus frater, et quingenti equestres lanceis pugnaturi, duoque arcu, gladio et bipenni dimicare assuetorum equo incedentium, et sagittariorum tributis exemptorum duo peditum millia, ex altero latere versus Lexovias tentoria et militaria signa erigunt. Nec mora, repente ligneum pontem supra flumen Orne, per medium Cadomi labens, magnopere construunt. Hoc quoque instituto infra quadriduum, comites de Ango, Nivernensis, heroes de Monteneo, de Beuveillyo et Joachim Rouault, ingentem bellatorum multitudinem per pontem transvehunt, et sese ad aquilonem versus occeanum in abbaciam monialium recipiunt. Ex omni parte obsidione seva Ca-

Var. : (A) A B *bipenniferorumque.*

domum circumvallatur. Gallica gens animosa luce obsidionis prima antemurale porte qua itur Baiocas intolerabili assultu usurpat. Ac hostes infesti arcus, balistas, colubrinas raptim obtendunt. Jaculis, saxis et glandibus plumbeis Gallos intrusos opprimentes, antemurale desertum relinquere urgent; nam versus ville muros absque obice apertum existit. Haud illius parietis obstaculum a missilibus vibratis infra militantes protegit. Opidani enim desertum Gallis fortalicium repetere non audent, verum portam lapidibus conjectis obstruunt.

233. Interea serenissimus rex Karolus Argentaneo cedens, honorificencia principum, procerum, militum armatorumque turba decoratus, die secunda in suburbium de Vaussellis hora prandii accessit. Ibi cum sollerti comite Dunensi ceterisque viris egregiis super impendenti Cadomi oppugnatione varia modesta et multa diserta verba orsus est. Deinde pontem labente meridie transiens, omnem obsidionis apparatum et singulas armatorum munitiones visitat. Ac regio posito et humili habitu induto, cum rege Cicilie et connestabulario Sancti-Stephani turres ascendit, a quibus universam Cadomi dispositionem prospexit. Atque mente pia tam magnificam et opulentam villam, ne vi capta destrueretur, summo studio preservare secum conclusit, quamquam mens ardens, prede libido, bellantium animos ad Cadomum vi diripiendum rapiebat. Tum villam gazis mercatorum ab omni patria recollectis cumulatam, tum thesaurum ducis barbari non tenuem, tum opulenta expulsorum spolia infra recondita norunt. Et deinceps, ne subita hostium irruptio, quorum multitudo ingens Cadomi arcebatur, in regem prorumperet, non in obsidionis septum sed in abbaciam de Ardena, non longe tamen, penates collocat. Rex quidem Cicilie, duces Calabrie, ejus primogenitus, et

Alla[n]conii, comes Sancti-Pauli, duo generosi domini Ferratus et Johannes de Lothoringia, germani, et lanceati mille, ac duo sagittariorum equitum millia bipenniferi, ac gladiatores mille, et totidem architenentes a plebe electi pedites, in obsidione magnifico et splendido militari ordine inibi remanserunt. Et cum hoc dominus de Bellavalle et dominus de [ ] (1), inter Sancti-Stephani abbaciam et castrum secus quamdam capellam, cum triginta lanceis et mille cum quingentis francis sagittariis fixam in armis tenent stationem. Galli enim principes summi (A) cum machinis omnium generum Cadomum impugnare acrius nituntur; cum ligonibus et fossoriis alta soli viscera rimantur, et improbo labore robusti Britones viam subterreneam in villam progressuram sibi celeritate mira preparant. Et nedum ipsi sed quamplures alii subtus muros, lapidibus evulsis, circumcavatos sese hospites inserunt, cum hastis ereptis in hostes murorum summitatem tenentes pugnaturi. In tanto enim certamine unius alacritas alterius virtutem ad villam insultu oppugnandam propensius invitat. Sollertissimus comes Dunensis munita antemuralia pagi de Vaussellis juxta amnem Orne constructa cum ingenti animi magnitudine et nervoso corporis vigore invadi jubet. Haud mora; atrocissimus insultus hinc inde mutuo conflictu certat. Quamplurimi Anglici studiosius intendentes ad improbitatem Gallorum propellendam interficiuntur. Tanto aggressu intolerabili, tanta alacritate indefessa, gravissimum oppressas a pugna ulteriori vires deflectunt, et victi invasoribus antemuralia resignant.

234. Hac re strenue gesta, erectus Gallorum crescit et

Var. : (A) A B C *summa*.

(1) Mot laissé en blanc ou omis dans les mss.

hostium lapsus diminuitur animus. Nec solum acres Galli muros transcendere, verum subtus terram penetrare moliuntur. Profecto unusquisque belli princeps infra penates speluncis concavatis secretum et iter obscurum in villam aditum reseraturum sibi aperit. Et potissime cohors Francie connestabularii labori assueta muros ante Sancti-Stephani abbaciam conjectos suffodiunt, et cujusdam turris in ejusdem monasterii conspectu funditus bases succindunt, et columpnis flamma apposita consumptis, ingens menium et turris congeries ruina precipiti collapsa amplum patefecit ingressum. Extra Galli admodum letitant et intus tanto malo stupefacti Anglici amarissimo terrore conficiuntur.

235. Jamque Gallorum alacritas incensa consequende victorie et opulente prede stimulis excitatur manu dimicare in hostem, si rex, supremus princeps, ineundi conflictum laxaret auctoritatem, cui renunciatur insultu facile Cadomum posse subigi. Hoc agi debere sibi non ineleganter persuadetur. Ac rex piissimus, divine clemencie imitator, strictius inhibet ne gens marcia in ville tam populose lugubre exicium manus cruentas extendat; ac ille inquit : « Si salutare consilium michi daretur, quo
« plusquam decem proborum virorum intus existentium
« millia, qui summa caritate nostram majestatem am-
« plectuntur, a calamitate villa capta irruenti et sua pre-
« servari possent, ut non a furore gladii cum hostibus
« periclitarentur, mea sentencia foret Cadomum vi et
« insultu expugnandum. Villa enim ferro subacta, nullo
« hostium cum amicis, nullo nocentium cum insontibus,
« nullo sexus et etatis discrimine habito, sanguinolenta
« manu peribunt universi. Mulieres pavide, senes inher-
« mes et burgenses innocui, velut ferocissima regis Hen-
« rici captione inibi omnia scelera ista perpetrata sunt,

« misera iterata clade necabuntur. Sancta templa cruore « humano fedari, a donariis expoliari, virgines constu- « prari, castas violari, nullus efferatum ferri furorem ar- « cebit. Hic alieni rapax et sui effusus gladio pretento « omnes domos perstringet. Fortunas enim burgensium « raptas cum spoliis inimicorum aufferet. Sub nostro « armorum imperio ista nephanda facinora perpetrari « nolumus, nec cruorem hostium effundere, sed eorum « intrusionem a nostro ducatu propulsare affectamus. « Longe enim inedia obsidionis contriti hostes absque « nostrorum sanguinis effusione et lugubri burgensium « exicio nobis restaurare cogi poterunt. » Hec pii principis sanctissima fuit opinio.

236. Profecto absque gravissimo Gallorum detrimento et irreparabili ville eversione nunquam vi a barbaris erepta fuisset. Nam acerrimi hostes, Robertus Ver, miles, Henricus Regnefort, Hugo Spencier, Henricus Stendis, Guillermus Courren, Guillermus Logot, Fulco Ethon, Henricus Ludonii, capitanei armis exercitatissimi, sub imperio suo quatuor Anglorum millia habentes, ad ville protectionem arctius invigilabant; et infra castrum, fortiorum totius ducatus Northmanie unum (A), dux de Sombresset, uxor, eorumque liberi in tutissimo profugio residebant. Haud dubium, tanta armatorum copia, aggere et menibus validissimis protecta, infra ville intestina absque maxima invasorum strage debellari non poterat. Et si corda burgensium cum hostibus unita, velut distracta erant, tanta virorum multitudine defensa, non vi verum sola fame superanda villa patebat. Hac enim ingressa, non tamen recuperata fuisset. Vires omnium animo et corpore insimul juncte loca superiora occupassent; exinde

Var. : (A) A B C *verum*.

sagittis vico[s] texisse et desuper ingressos saxis et missilibus obruisse contigisset. Sed animi burgensium ab hostibus diversi, ut nunc sunt, si contra vim et ferrum villam tutari nequirent, diffidencia impelleret Anglicos burgenses relinquere indefensos et ad castrum profugere; ac opidanis in tuto collocatis, uti dum immanis Henrici crudelitas captam villam obruit, victores armati inclementem ferri furorem, qui nulla restringeretur humanitate, ad burgensium cedem et ad eorum fortunarum direptionem exercerent; et villa tam calamitose direpta non facili pugna hostes a castro, ut alias, expellerentur.

237. Hoc amplissimum opidum, indissolubili calcis et (s)cementi compage firmum et situ inexpugnabile, clausuram Silvaneti urbis non minorem continens, altisque turribus conspicuum supra silicem (B) durissimam construitur. Et infra hujus castri septum sublimis arx quadrata, illa Bitturis immanior, in excelsum cacumen custodit, turresque quatuor alie paulo minores in arcis angulis fabricate eleganti forma circumstant, atque fosse precipites et muri compacti huic arci robuste munitionem non invalidam superaddunt. Belciaci ubertas, segetum fertilis, equorum pabula et optima hominum alimenta huic regio castro ministrat. Fecunditas Algei intima fluens pinguedine (c) obesas pecudes et redundantes si(n)cere penus propinat. Flumen navigabile fenum, lignum, ceteraque promiscue necessaria, et mare delicatos omnium generum pisces et diversam vinorum speciem copioso usu Cadomum transvehit. Aer salubris et conspectus pratorum amenissimus intrinsecum corporibus vigorem et jocundissimam oculis voluptatem conferunt.

Var.; (A) A B C *cilicem*; (B) A *pinguedinem*.

CAPITULUM PRIMUM ET VICESIMUM

In hoc capitulo de clemencia regis Karoli et crudelitate regis Henrici, et eorum diverso bellorum exitu, agitur.

238. Summa igitur Karoli pietas tam insignem, tam magnificam, tot bonis locupletem villam, ne a ferri inclemencia vastaretur, integram preservans, humanitatis prestancia omnium regum principem laude et gloria effert sempiterna, et posteris singulare exemplum litteris consecrandum relinquit, ut non promptiores ad delendas urbes et villas diripiendas cruentum gladii ferrum convertant.

239. O Henricum, inhumana tua crudelitas ferocissima obsidione Cadomum subegit, et vi occupato, unum domi, alterum in templo vicisque infinitos strage miseranda trucidavit (A), et viventium corpora ceteraque omnia militum predam esse decrevit. Ac immensa Karoli pietas audaciam bellatorum inflammatam a preda et cruoris effusione restrinxit, ne ferro Cadomum aggrediatur, ac reducto vitam omnium a manu sanguinolenta incolumem preservat, et in summam libertatem a durissima servitute ereptam burgenses adduxit, et sua cuique, etiam hostibus, possessa reliquit intacta. O Henricum, tua rapacitas rebus et colonis misere agros depopulatur, et singularis Karoli abstinencia neminem concutit, nullius fortunas attingit; ferum predonem colonos opprimentem publice injurie ultorem ferit.

Var : (A) A B *trucidant ;* C *trucidant,* corr. *trucidavit.*

240. Hec diversa duo bellorum genera a dissimilibus principibus aguntur. Unum belluarum, quod corporis viribus abutens quecumque aliena ut sua rapit et ferinos ritus cede humana cruentat. Aliud hominum, quod pro rebus vi usurpatis hoste juste repetendis certat, ut jure belli restauratis cuique domino veteri libere in pace absque injuria frui, et urbes ab hoste ereptas a vero principe in fidem recipi liceat. Hoc miseris omnibus indulgere poscentibus remitti offensam, quamquam majestatis lese reum condonat; illud nemini propiciatur, neminem supplicantem exaudit. Hoc sui effundere cruorem similis abhorret; illud manus impias humano sanguine venis extracto rubricare congaudet. Hoc si obstinata scelerum immanitas clementis continenciam excedere cogat, triste secum condolet severi principis exercere officium; illud reservatam Summo Judici vindictam usurpare non trepidat, et fervente gladio hominem, celestem ymaginem, ferociter interimere letatur. Ut igitur beluis feritas, non aliter hominibus mansuetudo proprium a feris mortales differre et summo Deo similes facit. Quid inde? supremus Judex et rerum Pater crudelem humanitatis hostem et demum vindicte ultorem perdit, et clementem humane nature amicum premio dotat. Diversum igitur istorum principum exitum considerat immensa celestis benignitas; regem mansuetum, non sibi obsimilem, bellantem ubique protegit et absque suorum sanguine fuso, hostibus ejectis magnificum triumphatorem, et urbibus deditis gloriose principari facit. Atque crudelem regem, Dei inimicum, ab excelso regni culmine, omni animi virtute et militari industria destitutum, ad miserie infimum prosternit, gravique suorum discrimine ubique ignave pugnantem ab imperio vi usurpato victum propulsat ignominiose.

CAPITULUM VICESIMUM SECUNDUM

Qualiter et qua deditionis forma, obsidionis acerbitate dux de Sombresset exactus regi Karolo Cadomum tradit. Qualiter comes Dunensis capitaneus, clavibus a connestabulario sibi traditis, castri et ville Cadomi adeptus est possessionem.

241. Ad inceptum redeamus. Cum dux de Sombresset diversa et multa dubio animo volutet, admodum terretur vario rerum eventu confusus. Tum sese, uxorem et liberos crebra obsidionis acerbitate fatigatos vehementius arctari sentit. Tum suos commilitones implacabili metu pavefactos, si cum fero hoste certamen ineant, sterni potius quam occidere paratos animadvertit. Tum ubicumque in Karolum regem pugnatum fortunam Anglicis fuisse commemorat adversam. Tum propter inique belli sortis conturbationem, nullum sperat ab Anglia militum subsidium consecuturum; sevis infortunii procellis agitatus, animo labefacto veretur ne ad extremum sua persona, uxoris et liberorum gladio perimantur (A), aut victi in miseram captivitatem casuri, non mediocrem in predam hostium decidant, si pertinacibus armis in Karoli regis potenciam resistat. Hiis et aliis dux concussus, ut periculis, quibus salus universe familie et fortunarum versatur, impendentibus mature obviet, opulentam Cadomi villam, insigne castrum et turrem magnificam in hanc compositionem adduxit : si postera sancti Johannis Bap-

Var. : (A) A B *perimant;* C *perimant,* corr. *perimantur.*

tiste luce infra primam Jullii proxime lapsuram Francorum regem ejusque armorum potenciam campo non expugnaret, hec tria famosa fortalicia Karoli potestati dedet. Istam conditionem deditioni inserit, licet certum haberet tempore sibi non succurrendum, ne per suam ignaviam, verum per subsidii armorum substractionem, ut defectu succurrentium, non suo, tam potentem villam, validum castrum et arcem ornatissimam ab Anglicis perdidisse lese majestatis reus accusaretur. Et ut composit[i]o promisso non frustretur effectu, decem viros ab Anglia, duo milites in Northmania et quatuor burgenses ex Cadomo cretos in vades tradit; eo pacto quod idem dux, lecti consors, sua propago, ceterique Angligene cum suis uxoribus liberisque cedentes illesi, castrensia mobilia, etiam equos, arma, milites, sagittarii arcus, balistas et loculos secum in Angliam vectura curruum et navium sumptibus propriis accommodata transducent. Immanes enim machine et minute, preter colubrinas que dextera deferri possunt, apud Francorum regem belli institutis parte manebunt. Preterea Anglici creditores singula cyrograffa et debita viris ecclesiasticis et burgensibus obnoxiis ut cancellata et soluta absque alicujus exactione cedant.

242. Labente igitur Jullii prima, ideo quod nullus principum Anglie subsidio affuit, ballivus Cadomi Anglicus in campis allatas ville, castri et turris quadrate Francie connestabulario claves concessit; quas extimplo egregio comiti Dunensi, ut capitaneo et gubernatori ex regis auctoritate creato, tradidit. Idem Arturus in armis rure consistit, ut Anglicos recessuros cogat ad mare rectum iter tenere, ne ad predam in villas campestres evagentur. Dux de Sombresset, heri gubernacula ducatus feroci imperio regens, cunctorum fortunas et hominum

arbitria flectit quo funesta dominantis jubet auctoritas; et hodie ab iniquo regimine expulsus ad pagum d'Estrehan, marinum portum nocte dormiturus accessit (A); et non ut imperanti, sed peregrino, nocturnum hospicium satis benigne postulanti, indigene fores domorum obversas claudunt, ac famelitico carius empturo viaticum distrahere nolunt. Aspere improperant sceleratissimam tuam gentem Anglicam plusquam sexaginta edes amplissimas, spoliis vi ablatis, in hoc pago conflagrasse; ei transfreturo in Angliam pelagi et aeris malignitatem et toti Anglorum generi imprecantur. Difformem domorum parietinam ostendentes inquiunt: « In hoc combustionis loco, « quem tui perditissimi incendiarii tibi comparaverunt, « tuorum uxoris [et] liberorum et tuas cervices (B) reclina, « et onustus sarcinulas depone. O quam justum judicium « si nephandi incendii artifices in area combusta qua « populare scelus perpetrarunt, ut severa legum sanctio « exuri statuit, celesti fulgore tanti criminis ultore con- « cremarentur! Nec tectorum nec rerum usus, que tua « gens iniqua flammis et rapina diluit, tuis satellitibus et « tibi eorum duci immanitatis subsidium nos decet ac- « commodare. » Haud dux nec barbari inhospitati, quamquam estu et vento maritimis graviter afflicti, nec incenati fame et siti diurna (c) confecti, vi tecta subire et dominis invitis commeatum usurpare audent; ne salvo conductu fracto, exosa corpora in captivitatem et opulenta spolia in predam decidant.

243. Comperta enim hostium inedia, quibus populus infensus alimenta ministrare recusat, humanissimus rex Karolus negociatores ad ducem barbarum victualia deferre et hospicia aperiri jubet. O quam anceps (D) tyran-

Var. : (A) A *accesit;* (B) A *services;* (C) A B *diurne;* (D) A *auceps.*

norum imperium et subita clade periturum, ni partum amore subactorum firmo retineatur! Heri dux de Sombresset, summa regis auctoritate vectus, subjectorum fortunis, ut seva libido cupit, ad nutum uteris et ingenti formidine sedulo honoris cultu a Northmanis veneraris; hodie ab imperio iniquo dejectus, commeatum a populo recusatum nec precio nec vi, quo te labore itineris gravatum recrees, tibi comparare potès. Hodie asperrimo imperio populus te ipsum heri regentis solio sublimatum afficit, et ut crudeli incendiario adversam sortem imprecatur. Heri excelsa palacia faleratam tui superbi ducis pompam et mensas splendidis ac variis dapibus onustas vix continere poterant; hodie demissa colonorum casa, ut commeatum et nocturnam quietem discumbiturus sumas, te expulsum recipere dedignatur.

244. Vos principes, qui armorum potencia novo imperio populum subditis, rebus, uxoribus et personis violenciam inferre precavete. Nulla virtute princeps alterius patrie domitor multitudinis benivolenciam sibi facilius reconsiliat quam ab injuriis irrogandis manus innocuas continere; et e converso, nulla pestis capitalior in novo seu antiquo principe quam avaricia subactorum fortunas questui habere, et filiarum mulierumque sua libidine castitatem attentare. Verum qui rebus sibi ereptis aut uxore violata atrocem injuriam accepit, pre se jugiter inclusum anxium fert dolorem, offensusque absconso dolo solicite molitur ut suam contumeliam acerrime ulciscatur. Ob luxuriam in uxorem unius nobilis attentatam omnis Ciculus et Neapolitanus (A), non in unius rei flagiciosi, sed universorum mortem conjurans, una nocte omnes Gallos per urbes, castra et campos crude-

Var. : (A) A *Neopolitanus.*

liter interimerunt; et propter tyrannidis immanitatem Northmani, idem votum gerentes ad Anglorum expulsionem, vehementissimo spiritu commoti fuerunt (1).

245. Tyrannorum ergo imperium diurnum esse non potest, quod multis odiosum. Haud amicicia firma, ceterum metus infidus tenore instabili male conservat. Profecto inclementi adversitate vix aut nunquam diu vacare continget, qui infensis subditorum animis regnat. Adversitas enim in tyrannum seviendi occasionem vulgo ministrat. Ubi occasio exoritur, non deerit in multitudine plures, saltem unus, qui insurgendi opportunitatem presentem non accipiat. Quid inde? Unus insurgens universum populum crudelitate oppressum contra tyrannum facile commovebit. Ac raro exitu optato carere videtur quod cum favore et laude multitudinis attentatur; uti solo Bruto persuadente, universus Romane urbis populus Tarquinium (A) regem superbum a majestate regia expulisse non est ignotum.

246. Ab arce sublimi fortuna belli ducem superbum detrudente, mox humilis regis locumtenens comes robustis ducentis sagittariis antecedentibus, heraudis et tubicinibus regis intermediis, et a tergo tribus venustis scutiferis vexilla liliorum auro florentia gerentibus, retroque centum egregiis armis corruscantibus, per turrem quadratam et amplissimum castrum Cadomum magnificus intrat; supra quam et ville portas celestia regis signa honorificentius erigi jussit.

Var. : (A) A *Terquinium.*

(1) Ce paragraphe est écrit dans le ms. A sur une demi-page cotée 104 B.

CAPITULUM TERTIUM ET VICESIMUM

Qualiter rex Karolus, splendida principum, procerum et nobilium magnificencia decoratus, Cadomum ingrediens a burgensibus summo honore et a clero summa veneratione, cunctis ingenti leticia exultantibus, receptus est.

247. Sexta vero Jullii fluente, rex piissimus splendida principum, procerum et nobilium turba illustratus, ducentis sagittariis et bucinibus regali ornatu armorum insignitis precedentibus, et retro tergum eximiis centum lanceis acutis militantibus, regis vestigia secuturis, ab abbacia de Ardena prope Cadomum equo incedens accessit. Cui egregii burgenses hylari et modesta facie, velut ab infesta servitute erepti (A), cum Dunensi comite obviam exierunt; et impenso humilime, ut tantum decet regem, cultu reverentie, claves ville ejus facultati presentaverunt, quas grata manu et benigno favore accepit. Et confestim universus clerus, maxima in multitudine, decenti vestimentorum honestate redimitus, ville claustra egressus, canticis et hymnis exultans colendissimam regiam majestatem venerantur, ac ex preciosis auleis et locupletibus tapetis (B), pannisque vario distinctis colore, vici et compita quibus rex iter agit ornatissimo celi, seu cortine, paratu tenduntur. Ac populus et vulgus mixtum cum parvulis, antea durissima servitute contriti, nunc accepta libertate freti, in nove jocunditatis voces erumpunt, immensamque

Var. : (A) A B C *erepte*; (B) A B C *trapetis*.

Karoli pietatem ab hoste sine sanguinis fluxu et sine preda vulgi rapta ad celum extollunt, et velut celeste Numen et plusquam mortalem summo condignantur honore.

CAPITULUM QUARTUM ET VICESIMUM

Qualiter Ponthus de Santrailles, armis et fide prestantissimus, sagittariorum unam turmam machinas in Falesie obsidionem opidanos invadentes repellens, maxima vi et acri impetu in Falesie valvas fugat. Et qualiter rex Karolus in abbaciam Sancti-Andree versus Argentaneum [*se*] *confert, et qualiter principes et bellorum duces maximo armatorum* (A) *exercitu villam Falesie et castrum prevalidum obsident.*

248. Illa luce Ponthus de Santrailles, armis et fide prestantissimus scutifer, Bituris ballivus, primus ante Falesiam suam cohortem appulit. Exinde Anglici opidani francos sagittarios non confertim sed sine ordine diversos incedentes, quorum et regalium machinarum magister Johannis Burelli ductor erat, prospicientes ex improviso ferociter invadunt. Et ut Ponthus strepitum hostilem et tumultum intellexit, equo acri converso ocius (B) provolat, sagittarios dispersos extreme laborantes in belli ordinem cogit, vehementius hostibus instat. Ibi virtutem et animi industriam egregie ostendit, maxima vi cedit, inque valvas Falesie crudeles fugat hostes. Propter inordinatam sagittariorum profectionem (C) feda et ignominiosa

Var. : (A) A B C *armorum*; (B) A *octius*; (C) A B *professionem*.

confusio exercitum surreptis machinis turbasset, si non Ponthus celeratum subsidium tulisset. Tametsi opidani bello intenti et totius ducatus acriores essent, tamen nostri virilibus armis opidum Falesie, opere et loco munitissimum, et villam circumdant, crebro et acerrime inclusos jaculis contundunt.

249. Octava Jullii rex serenissimus Karolus Cadomo equitans infra abbaciam Sancti-Andree versus Argentaneum, non procul a Falesia, multo principe stipatus consedit. Dux Allaconii versus Parisius Sancte-Margarete hospicium tenet. Comes enim Dunensis Gybrayo sedem ponit, et juxta heros de Foresta, comitis Cenomanensis armatorum ductor, consistit; et duo francorum sagittariorum millia infra quamdam abbaciam subtus Gybrayum hospitantur. Secus ripariam in conspectu dominus Johannes de Lothoringia, heros de Bellavalle et ballivus Bituris collocant castra; et versus Cadomi plagam comes Nivernensis, heroes de Culento, magnus regie domus tunc temporis magister, de Aurivalle, de Monteneo considentes obsessos infestant.

CAPITULUM QUINTUM ET VICESIMUM

Qualiter rex Karolus ab opidanis, non expectata obsidionis atrocitate, deditione inita, in sui obediencia Falesiam recipiens, a nonnullis persuasus in contrarium heroem de Talbot a carceribus liberat.

250. Opidani vero, licet loci asperitate et armorum industria omnibusque rebus se munitos cognoscerent, non tamen diu obsidionis angustiam ferunt. Nam impensiori

